




VE RI
TAS




VE RI
TAS



ADOLPHI EMPERII

BRUNOPOLITANI

OPUSCULA

PHILOLOGICA ET HISTORICA.

AMICORUM STUDIO COLLECTA

EDIDIT

F. G. SCHNEIDEWIN.

GOTTINGAE,

IMPENSIS LIBRARIAE DIETERICHIANAE.

MDCCCXLVII.

PRAEFATIO.

Fatum fuit, ut a quo scriptore litteratam industriam auspicatus esset Adolphus Emperius, in eodem desineret, Dione Chrysostomo. Nam vix ad finem perducto eius scriptoris a se recensiti primo, quod verba graeca complectitur, volumine cum in commentariis conscribendis naviter esset occupatus, in gravem incidit morbum, qui vitae finem attulit trigesimum octavum aetatis annum agenti. Quo acerbo casu cum vel ii non mediocriter commoverentur, qui Emperium de facie tantum nossent — prodebat enim vultu ipso qualis esset —, quanto maerore affici par erat animos eorum, qui artissimis vinculis amicitiae cum viro optimo fuerant ex longo tempore consociati. Atque is maeror eo vehementior fuit, cum insperantibus omnibus extinctus esset, quem ex aegritudine, qua erat aliquot annos ante tentatus, ad pristinum robur firmamque qua constanter uti solebat valetudinem redisse erant laetati conceperantque non vanam, ut videbatur, spem, fore ut per longam annorum seriem carissimi capitis consuetudine frui liceret. Nunc non sine summo desiderio recolunt pulcherrimum tempus illud, cum in familiaritate sinuque acquiescere contingebat illius, quo eruditiorem, candidiorem, certiorem amicum vix animo et cogitatione fingere posses. Erat enim in Ad. Emperio praeter felicissimum ingenium de graecis latinisque fontibus hausta eruditione eximie perpolitum et ad omnem humanitatem excultum is candor pectoris, ea comitas morum, tam nullus in dictis factisque fucus, ad summam ea virtus, ut neminem non ad amorem sui excitaret atque alliceret firmissimeque teneret, qui se-

mel in familiaritatem illius consuetudinemque venisset. Equidem, ingenue fateor, semper in magna felicitatis parte ponam — nec aliter sentire alios scio — amicum habuisse Emperium.

Inter amicos autem iucundissima studiorum societate cum Emperio coniunctissimos fuerunt praeter me H. L. Ahrens Lingensis, F. Bamberger Brunopolitanus, C. Sintenis Servestanus. Quare post mortem amici — id ultra biennium est — inter nos convenit, ut ad memoriam eius etiam aliis commendandam — nobis enim dum spirabimus sancta erit — quae ille praeter Dionea vel singularibus libellis vel per ephemeridas sparsa edidisset, communi opera contracta ederemus. In quo ita tenuimus, nihil paene ut praetermitteremus quod semel in publicam lucem prodire iussisset auctor, qui sua non soleret festinare temperantiorque esset studiorum, quam vel amici vellent vel litterae ipsae postulare viderentur. Accessit enim aegre ad elimanda ea quae in scriniis notata animove designata habebat plurima, et nisi amicorum precibus exoraretur, pleraque sane perpetuo ille in schedis delitescere erat passurus. Adeo non avidus erat famae gloriaeque. Haec autem scripta Emperii, quem Frid. Iacobsius iam adolescentulum inter felicissimos coniectores nunc litteratorum censebat, nemo, qui quidem novit, iudicabit indigna fuisse quae iterum expressa in frequentiam commerciumque doctorum revocarentur: si qui non noverunt, concedent cognitis quantumque in Emperio antiquae litterae amiserint poterunt aestimare. Non egent Emperiana nostro praeconio; tantum dicam. Quae ille p. 147. de Homericorum carminum origine perbreviter, ut solebat, significavit, ita comparata sunt, ut aliorum crassa volumina vel exaequent vel vincant. Nec censuras librorum resecandas censuimus: nam non solum continent quae ad promovendas litteras conducunt — quis enim, ut hoc utar, negabit censuram Antigonae Wunderianae paene iustae editionis instar esse? —, sed eaedem eam spirant humanitatem et ita Emperianam indolem referunt, ut et exemplo aliis esse possint et ad aestimandum auctorem egregie conferant.

Dispensavimus autem libellos ita, ut temporis obser-

varemus ordinem, nisi quod censuras a disputationibus segregravimus. Eo fit, ut quibus gradibus Emperius criticam facultatem excoluerit et ut paullatim orbem studiorum amplificaverit perspici possit. Si qui autem Emperium in sola arte critica factitanda excelluisse opinantur, ii etiam in historia veteri recentiorisque aetatis non mediocriter versatum iam licebit agnoscant. Nam cum ei muneris ratio historiae tradendae officium imponeret, ille, qui assuevisset criticae ἀκριβείᾳ, ex fontibus ipsis hauriundum ratus ad pervestigandam historiam magno cum studio nec sine successu sese applicabat. Eratque Emperius plura ex eo genere scripturus, quod historiam patriam medii aevi spectat, quae morte intercepta sunt. Nunc quam ille rationem secutus sit apparebit ex ea commentatione, qua de Guilelmo Victorioso exposuit ita, ut et peritis satisfecerit quaestio ipsa et neminem non capiat narrationis simplicitas nitorque nativus dicendi. Sic confidimus vel philologos, nisi forte ad hoc genus prorsus obduruerunt, non aegre laturos, quod haec in societatem classicorum librorum asciscere non veriti sumus. Ceterum non negleximus quae Emperii manu in scriptis iam editis vel mutata vel addita deprehendimus. Sed paucula erant.

Neque tamen sola ea quae iam typis erant descripta repetivimus, sed etiam ea nunc primum prompsimus quae inter legendum meditandumque subnata in margines librorum Emperius coniecisset. Consueverat enim veteres scriptores ita legere, ut ad difficultates tenaciter obhaeresceret nec temere prius discederet quam aliquo tamen modo sese expediisset. Haec nos *Adversaria* appellavimus aliorum exemplo. Sint sane in illis, ut sunt profecto, quae vel scopum non feriant vel aliorum sagacitate praecepta sint haud pauca: at omnia confirmabunt, quo Emperius acumine in investigandis tollendisque mendis elaboraverit fiuotque ille et quomodo scriptores legerit, eademque cum qdem facient multis coniecturis in quas plures inciderunt, tum alios in inveniendo vero adiuvabunt. Curam autem illam ita partiti sumus, ut C. Sintenis Plutarchi vasta volumina eximiis coniecturis oppleta, F. Bamberger Meinekii Comicos, Polybium, Pausaniam, Athenaeum; reliqua

ego excerperem. Nam H. L. Ahrens noster cum eo tempore Lingam transferret domicilium, non poterat in societatem laboris venire. Erant autem haec longe plura futura, nisi schedulae quaedam incuria non nostra intercidissent: quidam libri in auctione publica distracti ante usum nostrum non constat quo devenerint. In quibus Bambergerus meus maxime se desiderare ait ea quae ad Dindorfii poetas scenicos annotata fuerint. Quod exemplar ubi recuperarimus, ne lateant Emperianae emendationes curabitur.

Superest ut dicam quid factum sit commentariis quos supra commemorabam Dioneis. Quos ultra dimidium operis pertextos de voluntate fratris Guilelmi Emperii, quem honoris caussa nomino, viri optimi, misi ad Iacobum Geelium, rogans, ut quae desunt addere atque perficere inchoata vellet, quippe qui et ipse in Dione habitaret Emperiumque maxime ad aggrediendum opus sua auctoritate impulisset. Rescripsit autem vir praestantissimus, recipere sese absoluturum commentarios Emperianos effecturumque, nisi quid inexpectati accidat: vitae enim summam esse brevem. Id deus prohibessit faxitque ut Geelii potissimum opera aliquando luculentissimus Dioneorum studiorum fructus in communem usum prodatur.

Scribebam Gottingae die XXVIII mensis Decembris a. MDCCCXLVI.

F. G. Schneidewin.

INDEX DISSERTATIONUM.

RECENSIONEN.

*) Casu factum est, quod haec disputatio loco non suo legitur. Id aequos iudices rogatos volui ut excusent.

ADVERSARIA.

I.

DE TEMPORUM BELLI MITHRIDATICI PRIMI RATIONE [1]).

Exorta lis est inter viros doctos, quo anno Athenae a Sulla expugnatae sint. Qua de re, quoniam totius belli Mithridatici primi chronologia hac quaestione continetur, accuratius egerunt Freretus (sur la date de la prise d'Athènes par L. Cornelius Sulla) [2]) et De la Nauze (examen des Observations sur l'époqne d'une ancienne inscription apportée de Tripoli) [3]) qui in alia omnia discessit. Freretus enim cladem Atheniensium in anno 87 a. Ch. collocavit; De la Nauze in a. 86, quae sententia ante Dodwellum obtinebat. Denique J. E. Woltersdorfius in commentatione de vita Mithridatis (Gotting. 1818) eandem controversiam attigit, qui dubitanter quidem, sed tamen suffragatus est Frereto.

Et fatendum est, utramque sententiam cum veri quadam specie defendi posse. Hac vero nostra disputatione duas res illustrare conati sumus, primum, quo anno Sulla in Graeciam traiecerit, et, quod inde consequitur, quando Athenas ceperit; et hoc quidem certa ratione demonstrari potest; tum vetustam in temporibus huius belli describendis scriptorum dissensionem ex quibusdam indiciis indagare studuimus. Quod quomodo nobis cesserit, penes doctiores iudicium esto.

Singulas autem huius commentationis partes hoc modo disposui, primum ut ordinem rerum a Sulla in Graecia gestarum per se spectarem, in quo annos a profectione eius in provinciam numeravi (in §. 1.); deinde quibus quaeque Consulibus gesta essent, eatenus exposui, quatenus conspirant veterum testimonia (in §. 2.); §. 3. controversa habebit, et primum quidem Plutarchi in Vita Sullae chronologiam, deinde Appiani

---

1) Edita est dissertatio ad rite obtinendos summos in philosophia honores Gottingae MDCCCXXIX.

2) In Histoire de l'Académie etc. Tom. XXI. p. 40.

3) Ibidem p. 260.

rationem persequar, quorum discrepantiam me ostendisse spero. Denique in §. 4. quaenam vera sit ratio, argumentis comprobabo, simulque difficultates omnes, si meam sententiam amplexus fueris, quam egregie tollantur, exponam.

annus I. §. 1. Non dubitatur, quin Sulla eodem anno, quo in Graeciam traiecit, Athenas obsidere inceperit [1]). Qua obsidione hibernum tempus consumptum est. Nam sub hiemem in Attica erat exercitus Romanus [2]), et capta est urbs Kalendis Mar- annus II. tiis proximi anni [3]). Hoc etiam constat, urbis expugnationem, proelium Chaeronense et Orchomenium eidem anno tribui oportere [4]). Nam capto Piraeeo statim Sulla in Boeotiam castra movit [5]). Piraeeus autem expugnatus est haud ita multo post Acropolin [6]); Acropolis brevi post captam urbem tradita est ab Aristione [7]).

Proelium vero secundum, quod ad Orchomenum commissum est, a Chaeronensi pugna magno intervallo distingui nequit, nedum ut diverso anno attribuatur. Etenim Appianus [8]), qui inter Athenarum expugnationem et proelium Orchomenium nulla hiberna Sullae interposuit, statim post proelium Orchomenium eum hibernasse tradit. Etiam Plutarchus [9]) duo illa proelia ita continuavit, ut nullo modo integrum annum intercessisse liceat existimare. Omnino vero quis sibi persuadebit Sullam, cui ipso bello alendus esset exercitus, tam diu otium egisse?

---

1) Plutarch. in S. c. 11. Appian. Mithrid. p. 190. Steph., quorum ipsa verba infra afferam.

2) *χειμῶνος ἐπιόντος*, Appian. M. p. 192. Lucullus ex Attica missus est *ἐν ἀκμῇ χειμῶνος* Plut. Lucull. c. 2.

3) Plut. S. c. 14. e commentariis Sullae.

4) Minus recte Woltersdorfium de hac re iudicasse existimo, qui cum p. 49. l. l. Chaeronense et Orchomenium proelium eidem anno ab Appiano, cujus magna est apud eum auctoritas, attribui scripsisset, nihilo minus p. 46. in diversis annis collocaverit.

5) Appian. M. p. 197. supra.

6) Plut. S. c. 14.

7) App. M. p. 196. *οὐ μετὰ πολύ* et infra *ὀλίγον ὕστερον*. Nam quod est apud Plut. S. c. 12. (*Ἀριστίων*) *χρόνον ἐγκαρτερήσας συχνὸν, ἑαυτὸν ἐνεχείρισεν*, meminisse oportet, etiam breve tempus longum potuisse dici, si ad miserrimam obsessorum conditionem exigeretur.

8) App. M. p. 199.

9) Plut. S. c. 19.

Sane Plutarchi temporum descriptio conciliari posse videtur cum altera illa, secundum quam Athenae a. 87 a. Ch. captae sunt, si proelia illa in diversis annis ponimus. Neque dubium est, alteram non continuo alteram excepisse; sed aliquantum temporis intercessisse apparet. Nam, ut Appianus tradit, Mithridates de clade Chaeronensi certior factus, novum exercitum conscripsit, quem sine mora cum Dorylao in Graeciam mitteret, et hic demum exercitus ad Orchomenum dimicavit. Porro in eodem intervallo Archelaus, ex pugna Chaeronensi in naves compulsus, maritimas oras vastavit, et Zacynthum frustra petiit.

At vero, cum diversitatis annorum, ut modo dicebam, ne levissimum quidem usquam vestigium exstet, tum isto modo prorsus nihil lucramur. Infertur enim in Plutarchi temporum comparationem, quam ut vindicaret in hanc opinionem Woltersdorfius incidit, tantum incommodum, ut hoc uno argumento conjectura ista facile subvertatur.

Plutarchus enim Chaeronensem victoriam in eodem tempore collocavit, quo Valerius Flaccus in Asiam profectus est [1]. Fugientem enim Chaeronea Archelaum Sulla persequitur, cum nuntio de Consulis Valerii adventu in Thessaliam revocatur. Atqui Valerius anno 86 in Asiam profectus est. Jam si post annuam quietem proximo anno 85 ad Orchomenum pugnatum est, non multo ante hiemem ejus anni dimicatum sit, necesse est. Continuat enim Appianus Thessalica Sullae hiberna proelio Orchomenio. Ergo primae pacis conditiones ab Archelao latae aut in a. 85 postremum, aut in anni 84 initium incident. Quod nullo modo admitti potest; minime vero a Woltersdorfio, qui jam a. 85 pacem congressione regis et Sullae ratam factam esse opinatus est. Nam inter primas pacis conditiones et congressionem illam plurimae res gestae sunt, velut gentes in Macedoniae confiniis multis proeliis debellatae, ut jam omittam legationes identidem ultro citroque commeantes. Hoc igitur teneamus, utrumque proelium eodem anno commissum esse.

annus III. annorum indicia deficiunt.

Proximo anno de pace agitur. Archelaus Sullam ad Delium convenit; inde ad regem profectus est. Interim Sulla cum gentibus Macedoniae affinibus bellum gerit. Iterum ad regem mittitur Archelaus. Iam convenit de tempore et loco,

1) Locos infra notabo accuratius.

ubi Sulla cum rege coram ageret. Postremo facta est pax ad Dardanum. Hinc Sulla profectus Fimbriam Valerii Legatum ad mortem adegit; mox depopulata miserum in modum Asia, in Graeciam traiicit, inde in Italiam. Haec postrema non sine temporum indiciis narrantur, sed ea talia non sunt, qualia nunc desideramus. Iam enim non illud quaerimus, quibus Consulibus, quotove ab U. c. anno singula gesta sint, sed ut dixi, quanto quaeque intervallo a Sullae in Graeciam adventu distare existimanda sint. Haec enim secunda est quaestio, quam abhinc tractabo. Et res suadet, ut inverso temporum ordine, primo de eis dicam, quae postremo facta sunt.

§. 2. Sulla Brundusium adpulit Norbano et Scipione Coss. a. 83. a. Ch. et quidem ante solstitium aestivum. Nam teste Appiano [1]) Brundusium venit Olympiade 174, i. e. anno primo ejus Olympiadis [2]), qui pertinet ab aestate a. 84. ad aestatem a. 83. Idem Athenis initiatus est [3]), cum in Italiam rediret; quod nisi factum est alieno tempore, mensi Septembri a. 84 tribuatur oportet. Hoc postremum tamen sat dubium est; saepe enim homines alieno tempore initiatos esse scimus. Tantum constat, Sullam diutius in Graecia versatum esse [4]), partim Athenis, partim in Euboea, ubi propter morbum aquis calidis ad Aedepsum usus est.

Iam vero annus, quo pax cum Mithridate rata facta est, ex his Plutarchi verbis [5]) definiri posse videtur: *ὁ δὲ Σύλλας αἰσθόμενος ἀχθομένους τοὺς στρατιώτας τῇ διαλύσει, τὸν γὰρ ἔχθιστον τῶν βασιλέων-δεινὸν ἡγοῦντο μετὰ πλούτου καὶ λαφύρων ὁρᾶν ἐκπλέοντα τῆς Ἀσίας, ἣν ἔτη τέσσαρα λεηλατῶν καὶ φορολογῶν διετέλεσεν.* Bellum Mithridaticum exarsit a. 89; pax igitur secundum Plutarchum in annum 85 incidere videatur, siquidem a primordio belli quadriennium illud numeravit. Sed, ut recte vidit Woltersdorfius [6]), belli

1) In B. Civ. I. p. 319.

2) Solet enim Appianus totas Olympiades numerare, et tunc demum hac temporum notatione uti, si quid aut in postremum Olympiadis cuiusque annum aut in primum incidit.

3) Plut. S. c. 26.

4) Plut. l. l. Strabo X. p. 686. A. Cornelius N. in Attico c. 4.

5) Sullae c. 12. conf. Fragment. Dion. Cass. 176. p. 74. Tom. I. apud Reimar.

6) L. l. p. 49.

illius anni non semper ab eodem initio numerantur. Et sane summa belli quod in Asia gestum est, ad a. 88 demum pertinet. Certiora hinc peti possunt. Et Plutarchus et Appianus paci a Sulla et Mithridate compositae Fimbriae mortem continuant [1]). Fimbria autem Ilium ceperat *ληγούσης ἄρτι τῆς τρίτης (καὶ ἑβδομηκοστῆς) καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος* i. e. circiter solstitium a. 84. a. Ch. [2]). Itaque Fimbriae exitium non potest ante a. 84 aestatem collocari. Unde efficitur, pacem etiam, quam Fimbriae mors exceperit, ad hunc annum pertinere [3]).

§. 3. Iam veniamus ad ea tempora, de quibus praecipue ambigitur. Et primum quidem Plutarchi rationem exploremus. Post partam ad Chaeroneam victoriam, nuntius ad Sullam perfertur, adventare cum exercitu Flaccum, ut ipsi succederet. Erat tunc in Boeotia, ubi solennia victoriae celebraverat; sed vixdum Meliteam Thessaliae urbem venerat, cum de Dorylai adventu certior est factus [4]). Quae si vera sunt, pugnatum est ad Chaeroneam a. 86. Quamquam, quod nunc praecipio, permirum est, de hac in Thessaliam profectione ne verbum quidem apud Appianum reperiri.

Sic enim ille [5]), post victoriam, inquit, cum pauxillum temporis quieti dedisset, cum expedita manu Euripum petiit. Sed nihil propter navium defectum profecit. Aliquanto post Dorylaus adpulit cum exercitu, qui nuntio de clade Chaeronensi adlato a rege conscriptus erat. In quibus nihil est de expeditione, quam contra Flaccum susceperit. Idem p. 204 *μέρος τι* (exercitus ejus, quem Flaccus ducebat) *προπεμφθὲν ἐς τὴν Θεσσαλίαν, ἐς τὸν Σύλλαν μετεστρατεύσατο.* Quae verba pars sunt narrationis, qua res a Valerio Flacco et Fimbria gestas uno tenore seiunctim et sine temporum, in quae Sullae res inciderint, comparatione complexus est. Sed ex

---

1) Plut. S. c. 25. *ὁρμήσας ἐκεῖθεν* (Dardano, ubi convenerant) *ἐπὶ Φιμβρίαν πρὸς Θυατείροις στρατοπεδεύοντα.* conf. App. M. p. 210. Et consentaneum est, quamprimum in Fimbriam exercitum ductum esse.

2) Non postremo Olympiadis anno, sed fine huius anni. Quod Woltersdorfii caussa (conf. p. 47.) moneo.

3) Minus recte Woltersdorfius pacem a. 85. attribuit. conf. p. 47. l. l.

4) Plut. S. c. 20.

5) Appian. Mithr. p. 199.

Thessaliae mentione coniecerit quispiam, etiam Appianum hic de ista Sullae in Thessaliam profectione cogitasse. At primum verba illa ne id quidem demonstrant, in Thessalia tunc Sullam fuisse, deinde, si ita capienda sunt, de Thessalicis hibernis, ad quae post Orchomeniam pugnam Sulla exercitum duxit, cogitare potuit Appianus. Itaque in hoc acquiescamus, desiderari apud Appianum temporis indicium illud, quod Plutarchus nobis suppeditavit.

Videamus alium locum. Plutarchus [1]) post pugnam Orchomeniam hoc narrat: *Κίννα δὲ καὶ Κάρβωνος ἐν Ῥώμῃ τοῖς ἐπιφανεστάτοις ἀνδράσι χρωμένων παρανόμως καὶ βιαίως, πολλοὶ τὴν τυραννίδα φεύγοντες, ὥσπερ εἰς λιμένα τοῦ Σύλλα τὸ στρατόπεδον κατεφέροντο καὶ περὶ αὐτὸν ὀλίγου χρόνου σχῆμα βουλῆς ἐγεγόνει. Καὶ Μετέλλα* (uxor Sullae) *μόλις διακλέψασα ἑαυτὴν καὶ τοὺς παῖδας ἧκεν, ἀγγέλλουσα τὴν οἰκίαν καὶ τὰς ἐπαύλεις ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐμπεπρῆσθαι* [2]). Iniuria Freretus Plutarchum in temporum ratione ipsum secum pugnare opinatus est. Quem bene refellit de la Nauze [3]). Nam si vere Plutarchus pugnam Chaeronensem et Orchomeniam anno 86. tribuit, Metellae autem adventus inter Orchomenium proelium et primas pacis conditiones collocandus est, sicut fecit Plutarchus; optime sibi constat, cum Carbone et Cinna Coss. i. e. proximo anno 85 Metellam venisse tradit. Nam ad Orchomenum vergente iam a. 86 pugnatum est, ut de pace primum anno 85 vere agi coeptum esse credibile sit.

Eandem temporum descriptionem reperies in Plutarchi libro de garrulitate c. 7. [4]) ubi Athenas oppugnare dicitur *τῶν περὶ Μάριον αὖθις ἐν Ῥώμῃ κρατούντων*. Marius interiit Idibus Ianuariis a. 86. Itaque Athenarum obsidio a. 87 inceperat, et finita est urbis expugnatione a. 86 Kalendis Martiis.

Superest postremus Plutarchi locus, qui quidem disertam temporis notationem habeat. Scribit enim (S. c. 10. extremo) *παραλαβὼν δὲ ὁ Κίννας τὴν ἀρχήν, εὐθὺς ἐπεχείρει τὰ καθεστῶτα κινεῖν. Καὶ δίκην ἐπὶ τὸν Σύλλαν παρεσκεύασε*

1) S. c. 22.

2) Eadem in Comparat. Sullae cum Lysandro c. 5, ubi victoriam Boeoticam in eodem tempore posuit, quo Metella Roma aufugit.

3) p. 263. l. l.

4) Tom. X. p. 105. Ed. Tub.

καὶ κατηγορεῖν ἐπέστησεν Ὀυεργίνιον ἕνα τῶν δημάρχων, ὃν ἐκεῖνος ἅμα τῷ δικαστηρίῳ χαίρειν ἐάσας, ἐπὶ Μιθριδάτην ἀπῇρε[1]). Verba *παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν* significant, cum magistratum iniisset. Hoc Freretus[2]) ita explicuit, Cinnam Consulem designatum Consulis munere jam a. 88. functum esse. At quo tandem modo Cinna, praesente Consule Sulla, (et aderat etiam tum Sulla, ut ipsa Plutarchi verba ostendunt) Consulis munere in urbe fungi poterat? Et tamen Woltersdorfio rem plane inauditam, anticipatum Consulatum persuasisse videtur[3]). Omnino igitur hic quoque Plutarchus Sullae profectionem anno 87 assignavit; uti hic, sic per totam Sullae vitam in temporum comparatione sibi constans. Contra, si profectionem Sullae in anno 88 collocasset, quod Freretus interpretatione sua efficiebat, sequeretur, ut Athenarum expugnatio et proelium Chaeronense ad a. 87 pertineret, non, ut voluit ipse, ad annum 86.

Quod de la Nauze etiam Appianum hanc temporum comparationem secutum esse censet, id infirmis admodum argumentis nititur. Appianus, inquit, Sullam pro Consule (*ἀνθύπατον*) in provinciam profectum esse scribit. Locus, ad quem provocat, reperitur in L. I. de B. C. p. 399. *αὐτὸς δὲ* (Sulla) *καὶ Μέτελλος ἀνθυπάτω ὄντε ἐς τὸ πρόσθεν ἐχώρουν* (a. 83. a. Ch.). *ἐδόκει δὲ δὴ καὶ ὁ Σύλλας ἀνθύπατος ἐπὶ Μιθριδάτῃ γενόμενος, οὐκ ἀποθέσθαί πω τὴν ἀρχὴν, εἰ καὶ πολέμιον αὐτὸν ἐψηφίσατο Κίννας. — Ἀνθύπατος ἐπὶ Μιθριδάτῃ γενόμενος* nihil est aliud, nisi factus est Proconsul (i. e. imperium ei prorogatum est) propter bellum Mithridaticum. Num profectus sit Consul, an pro Consule, ex istis verbis intelligi nequit. Immo Metelli comparatio viri illius docti opinioni vel adversari videtur.

Addo alium locum, qui male intellectus, eius sententiam firmare videatur, quamvis eum ipse non adtulerit, Appian. B. C. p. 388. Postquam Marius urbe eiectus est, factio eius insidias Consulibus (Sullae et Pompeio) parabat. Pergit: *Σύλλᾳ μὲν δὴ καὶ παυσαμένῳ τῆς ἀρχῆς στρατὸς ἦν ἐψηφισμένος ἐπὶ Μιθριδάτην ὡς σωτηρίας αὐτῷ φύλαξ. Κόϊντον δὲ Πομ-*

1) Sic etiam Dion. Cass. Fragm. 117. Tom. I. p. 47. Reim.
2) p. 43. l. l.
3) p. 48. l. l.

πήϊον, τὸν ἕτερον ὕπατον, ὁ δῆμος οἰκτείρων τοῦ δέους, ἐψηφίσαντο ἄρχειν Ἰταλίας. Non difficile est videre, *παυσαμένῳ* ad futurum tempus pertinere. Nam et Sulla et Pompeius etiam tum Consules erant. Sententia haec est, populus et Sullam et Pompeium Coss. salvos esse volebat; dum Consules erant, magistratus eorum incolumitatem praestabat; post consulatum Sullae exercitus suus praesidio futurus erat; Pompeio non item. Hunc igitur ante depositum magistratum ad bellum Italicum profligandum misit. Sed ab ipso exercitu, cui praefuturus erat, statim interfectus est, idque cum adhuc Consul esset [1]). Denique alium Appiani locum afferam, cujus ignoratio maximas viris doctis turbas excitavit. Qui quamvis infra veram nobis viam monstraturus sit, hoc tamen nequaquam probat, ipsum Appianum profectionem Sullae post eius Consulatum collocasse. Nam ratiocinatio demum, quam vereor ut Appianus inierit, ad verum nos diriget. Vidimus Q. Pompeium in ipso consulatu interfectum esse. Sulla interim, exercitu Capuam praemisso, in urbe remanserat. Sequuntur haec [2]): *ἐξαγγελθέντος δ' εἰς τὴν πόλιν τοῦ Πομπηΐου φόνου, αὐτίκα μὲν ὁ Σύλλας περιδεὴς ἐφ' ἑαυτῷ γενόμενος τοὺς φίλους περιήγετο πανταχοῦ καὶ νυκτὸς ἀμφ' αὑτὸν εἶχεν. οὐ πολὺ δ' ἐπιμείνας ἐς Καπύην ἐπὶ τὸν στρατὸν, κἀκεῖθεν ἐπὶ τὴν Ἀσίαν ἐξήλασεν.* Per se igitur ne hic quidem locus, cui anno Appianus (nam de sola eius opinione nunc quaeritur) profectionem Sullae attribuerit, declarat.

Hactenus in infirmandis argumentis, quae aut adtulit De la Nauze aut poterat afferre, versati sumus. At diversam a Plutarcho temporum comparationem amplexum esse Appianum, alius locus [3]), etsi eius auctoritatem De la Nauze impugnaverit, ostendere videtur. Post proelium Orchomenium in Thessalia Sulla hibernans quietem agebat, dum Lucullum exspectat et quam ille collegerat classem *καὶ ταῦτα μέντοι Κορνηλίου τε Κίννα καὶ Γαΐου Μαρίου τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ ἐν Ῥώμῃ ἐψηφισμένων εἶναι Ῥωμαίων πολέμιον καὶ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ καὶ τὰς ἐπαύλεις καθῃρηκότων καὶ τοὺς φίλους ἀνελόντων,*

1) Praeter Appianum l. l. vid. Livii Ep. L. 77. et Valer. Maxim. L. IX. c. 7. S. 2. §. 2. Vellej. II. c. 20.

2) de B. Civ. p. 388 inf.

3) Mithr. p. 204.

ὁ δὲ οὐδ' ὡς καθῄρει τῆς ἐξουσίας, τὸν στρατὸν ἔχων εὐπειθῆ seqq. Haec eo fine dicuntur, ut Sullae extollatur constantia, qui quamvis ab inimicis talia esset passus, tamen in Thessalia otium egerit, nec reduxerit exercitum. Facile igitur apparet, ex mente Appiani istam in Thessalia quietem non fuisse integro anno a calamitatibus domesticis disiunctam. Utique vim totus locus nullam habet, si omnia illa ἕωλα tunc erant. Iam quae Appianus Romae accidisse tradit, pertinent ad annum 87 extremum [1]). Ergo secundum Appianum proelium Orchomenium in annum 87 incidit, Sullae autem profectio in a. 88. Appiani igitur chronologia uno anno differt a Plutarchea. Eodem alia etiam indicia ducunt. Nam et Appianus [2]) et Plutarchus [3]) Metellae fugam aedesque Romae dirutas post pugnam Orchomeniam collocant; sed Plutarchus adventum Metellae in initio a. 85. Cinna et Carbone Coss., Appianus fugam Metellae in a. 87 postremo, ita ut initio anni 86 ad maritum venisse existimanda sit. Differunt igitur integro anno [4]). Eadem discrepantia in caussa fuit, cur expeditionis illius, quam Sulla in Thessaliam contra Valerium Flaccum Cons. fecit, quamque a Plutarcho victoriae Chaeronensi continuari vidimus, apud Appianum mentio fieri nequiret. Id quod temere factum esse, nullo modo sibi persuadebit, qui, quam diligenter Appianus Plutarchum legerit, cognitum habeat. Nec negligendum est, quod nihil dixit Appianus, unde appareret, Sullam adhuc in urbe fuisse, postquam Cinna consulatum iniit. Itaque in hoc etiam discedit a Plutarcho, qui diserte παραλαβὼν τὴν ἀρχήν.

Haec Plutarchi et Appiani dissensio satis demonstrat, antiquitus obscuram fuisse temporum belli Mithridatici rationem. Quod omnino quispiam miretur, cum tot scriptores tempora illa illustraverint, inter quos ipse Sulla, cujus commentarii Plutarcho ad manum fuerunt. At reputandum est, totam illam obscuritatem sitam esse in comparatione rerum in Graecia Asiaque et Romae gestarum; commercii autem Sullae cum ce-

1) Locos infra afferam.

2) Mithr. p. 204. cuius verba supra exscripsi.

3) S. c. 22. et Compar. S. et Lysandr. c. 5. vide supra.

4) Ceterum, quod Plutarchus etiam Metellae fugam et adventum post proelium Orchomenium collocavit, iudicium nostrum de Appiani loco (Mithr. p. 204), quem supra exscripsimus, confirmatur.

tera re publica nihil prope modum intercessisse, ut, quae domi accidissent, quaeque foris, vix ullo inter se nexu cohaerentia, narratione quoque prorsus separari liceret. Itaque, qui temporum rationem minus accurate exploraret, facile poterat in errorem incidere.

§. 4. Sed utrumnam errasse existimabimus, Plutarchum an Appianum? A Plutarcho stant quaedam veterum scriptorum testimonia. Dionis Cassii fragmentum supra vidimus. Ex ordine autem rerum gestarum, quem in Epitomis historiae Romanae deprehendimus, vix certi quidquam colligi potest. Orosius [1]) vero, qui bellum Mithridaticum Sullae post consulatum obvenisse scribit, ita demum Plutarchi rationem confirmat, si verba eius hoc modo intelligimus, obvenisse ei bellum Mithridaticum, quod post consulatum gereret. Non enim obvenit post consulatum, sed eo ipso exarsit bellum civile, quod Sullae provincia illa decreta erat. Ambigua etiam Eutropii verba sunt, (Sullam) consulibus in futurum annum ordinatis ad Asiam profectum esse; ex quibus Freretus priore eum anno profectum esse collegit. Neque in hac quaestione multum nos adiuvant Memnonis excerpta apud Photium, quibus ego Woltersdorfium cautius usum esse vellem. Unum tamen ejus locum [2]) reperio, qui explicationis indigere videtur. *Εἶλε δὲ*, inquit, *καὶ τὰς Ἀθήνας καὶ κατέσκαπτο ἂν ἡ πόλις, εἰ μὴ θᾶττον ἡ σύγκλητος Ῥωμαίων τὴν τοῦ Σύλλα γνώμην ἀνέκοψεν.* Quinam est ille Romanorum Senatus? Num concilium illud, quod Romae erat? Quod si ita est, Memnon urbis expugnationem eis temporibus tribuit, quibus adhuc Sullanae partes in Italia superiores erant, i. e. in initio a. 87. At aliter illa verba intelligenda sunt; neque enim Senatus, qui Romae esset, Sullam ab Athenarum excidio revocare poterat; sed procul dubio intelligendi sunt Senatores, qui in Sullae castris versabantur, et quorum in eadem re Plutarchus [3]) etiam mentionem fecit. Itaque, si modo Photius accurate Memnonem exscripsit, hic etiam locus a Plutarcho stat. Nam post suscitatum demum a Mario et Cinna bellum, tot Senatores credibile est in Sullae castris fuisse, ut recte Senatus Romanus dici possent.

1) L. VI. c. 2. et hinc Paulus Diaconus V. c. 12.

2) p. 729. Steph.

3) in Sullae c. 14.

At vero ipse Plutarchus fidem suam non modo infirmat, sed, ut quibusdam visus est, prorsus infringit. Idem enim in Marii Vitam diversam temporum rationem introduxit, quod recte jam Freretus vidit, etsi ei oblocutus est De la Nauze. *Ἐν δὲ Ῥώμῃ*, inquit [1]), *Σύλλας μὲν ἠκούετο τοῖς Μιθριδάτου πολεμεῖν στρατηγοῖς περὶ Βοιωτίαν. οἱ δ' ὕπατοι στασιάσαντες ἐχώρουν εἰς ὅπλα* (Cinna et Octavius). Haec nisi cuius animus aliqua opinione occupatus est, ad notissima in Boeotia proelia referri manifestum est. Nec erat, quod de la Nauze de transitu Boeotiae, cum in Atticam Sulla proficisceretur, cogitaret [2]). Sed vix ulla dubitatio relinquitur, cum hos locos comparamus: *ἐν τούτῳ δὲ ὥσπερ τροπαίας ἀμειβούσης ἐφοίτων ἀγγελίαι πανταχόθεν, ὡς Σύλλας συνῃρηκὼς τὸν Μιθριδατικὸν πόλεμον καὶ τὰς ἐπαρχίας ἀνειληφὼς ἐπιπλέοι μετὰ πολλῆς δυνάμεως.* Haec nuntiantur superstite Mario, a. 87 exeunte. Idem c. 45. *λογιζόμενος* (Marius) *ὡς οὐ πρὸς Ὀκτάβιον οὐδὲ Μερουλᾶν, σύγκλυδος ὁμίλου καὶ στασιώδους ὄχλου στρατηγούς. Σύλλας δ' ἐκεῖνος ἔπεισιν, ὁ τῆς πατρίδος αὐτὸν ἐξελάσας πάλαι, νῦν δὲ Μιθριδάτην συνεσταλκὼς εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον.* Erant illi rumores, sed eatenus falsi, quatenus Sulla adventare dicebatur. Nam cum Thessalia et Macedonia a regiis ducibus occupabantur; Piraeeum tenebat Archelaus; ipse autem Sulla vix se munitionibus ab eius equitatu tutabatur (is enim ante captas Athenas et proelia Boeotia rerum in Graecia status erat) qui, quaeso, istis rumoribus Romae vel minima fides esse poterat? Sed idem aliud commisit, quo auctoritatem suam infirmaret. Nam, ut supra vidimus, Metellae adventum, quae modo Roma aufugerat, et nuntium de aedibus ibi dirutis affert, a. 85, Coss. Cinna et Carbone, attribuit. Sed cui persuadebit, tam diu Metellam Romae perstitisse, ex quo Cinna et Marius, urbe re-

---

1) V. Marii c. 41.

2) Provocavit ad Appian. M. p. 190. *διέβαινεν ἐς τὴν Ἀττικήν. παροδεύοντι δὲ αὐτῷ ἡ Βοιωτία ἀθρόως μετεχώρει.* Poterat etiam ad Memnonem p. 730. apud Photium, ubi ante Athenarum obsidionem *οὐκ ὀλίγον τῶν Ποντικῶν στράτευμα τρέψασθαι* dicitur. Eandem pugnam etiam Pausanias (I, 20, 3.) commemorat. Ceterum Pausaniam, qui fabularum tractatione assuefactus, historiam saepe corrupit, consulto hac disputatione exclusi.

cepta, caede omnia rapinisque complerent? Ipsa igitur ratio iam a. 87 extremo et Metellam aufugisse et aedes dirutas esse cogit. Et ne dubitationi locus relinquatur, Appiani testimonium, si ratione comprobatur, locupletissimum apponamus. Cum. Marius, inquit [1]), et Cinna urbem ingressi essent, *αὐτοῦ τε Σύλλα φίλοι πάντες ἀνῃροῦντο καὶ ἡ οἰκία κατεσκάπτετο, καὶ ἡ περιουσία δεδήμευτο, καὶ πολέμιος ἐψηφίζετο, τὸ δὲ γύναιον* (Metella) *καὶ ἡ γενεὰ ζητούμενοι ἔφυγον.* Haec gesta sunt a. 87. extremo.

Quae quamvis Plutarchi diligentiam in suspicionem adducant, tamen in Sullae vita veram eum temporum rationem secutum esse ostendam, explorata prius altera ratione, quam apud Appianum deprehendi diximus. Et primum quidem ipsius testimoniis eum conficiamus. Iam vero obscurum non est, non potuisse Appianum manifesto a semet dissidere; qui quamvis non perspicacissimus esset, communi tamen sensu non careret. Et caute manifesta eum erroris indicia devitasse videmus; sicut de consulatu ante profectionem inito et de expeditione post pugnam Chaeronensem in Thessaliam, ad excipiendum V. Flacci consulis exercitum, facta. Itaque inconstantiae indicia altius latere consentaneum est. Talia enim facile ei excidere poterant, cum ex pluribus auctoribus historiam suam componeret. Primum autem argumentum hoc esto. Sulla non ante aestivum a. 84 solstitium in Fimbriam profectus est. Haec autem expeditio et ratione et scriptorum testimoniis paci cum Mithridate compositae continuatur. Iam vero pax illa ab ipso Appiano non integro triennio a Sullae in Graeciam adventu disiungitur [2]). Constat autem, aliquanto ante hiemis initium eum in Attica fuisse, et multa iam tunc ab eo gesta esse. Sed largiamur, autumni initio eum in Graeciam venisse; tamen,

---

1) B. C. I. p. 359.

2) B. C. I. p. 396. *Σύλλας δὲ ἐπείξει τῆς ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς ἐπανόδου τὰ ἐς Μιθριδάτην πάντ' ἐπιταχύνας, ὥς μοι προείρηται, καὶ ἔτεσιν οὐδ' ὅλοις τρισὶν ἑκκαίδεκα μὲν ἀνδρῶν μυριάδας κατακανών, τὴν δ' Ἑλλάδα καὶ Μακεδονίαν καὶ Ἰωνίαν καὶ Ἀσίαν καὶ ἄλλα ἔθνη πολλά, ὅσα Μιθριδάτης παρειλήφει, ἐς Ῥωμαίους ἀναλαβών, αὐτόν τε τὸν βασιλέα τὰς ναῦς ἀφελόμενος καὶ ἐς μόνην τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ἐκ τοσῶνδε κατακλείσας.* Quae non poterant dici, ante quam rata pax facta erat; triennium vero ab eius in Graeciam profectione numerandum est.

si ab anno 88 triennium illud numeramus, pax non potest infra initium autumni a. 85 detrudi. Distaret igitur pax ab expeditione Sullae in Fimbriam facta VIII aut IX mensibus, quod pugnat cum eis, quae supra ostendimus. Contra si a. 87 Sullam in Graeciam traiecisse existimamus, pax incidit in vernum a. 84 tempus, quod egregie cum illa ratione convenit.

Sequitur, ut aliud ex ipsius narratione indicium petamus [1]). Sulla post collegae Pompeii caedem Romae erat. Appiani locum supra exscripsi. Atqui diu ante hiemem in Graecia erat; autumno igitur aut ante autumnum Roma profectus est. Itaque, cum praesente Sulla, ut diserte testatur Appianus, collegae caedes Romam nuntiata esset, cur consul nullus suffectus est; cum praesertim Sulla ab urbe discessurus esset, et prope dimidiatus superesset annus? Nolim contra me anticipatum a Cinna et Octavio consulatum afferri, de quo Frereti commento adfatim supra est dictum.

At si anno 87 profectum Sullam existimamus, egregie omnia conspirant. Tunc enim collegae caedes ad postremum a. 88 referri potest. Id quod magis etiam Appiani verbis comprobatur. Nam Pompejum eo fine a populo Romano ad exercitum missum esse scribit, ut ne Romae manenti ei factio Mariana, postquam consulatus praesidio ei esse desiisset, insidias strueret. Ea autem populi formido eo iustior erat, quo magis eius consulatus ad exitum vergebat.

Hactenus cum Appiano ipsius testimoniis certavimus. Restant duae reprehensiones, quibus ista ratio, qua anno 88 Sulla in Graeciam profectus est, liberari nequit. Alteram iam protulit De la Nauze, sed minus illam gravem quam altera est. Miratur enim, quomodo tam exiguum temporis spatium tot res capere potuerit, quot necesse est, si anno 88 Sulla in Graeciam traiecit. Nam si multum largimur, autumni initio Roma profectus est. Plurimae res enim, quas ante hiemem in Graecia gessit, vetant, ne profectionem infra illud tempus

---

1) B. Civ. L. I. p. 308 infr. Concidit igitur gravissimum Frereti et Woltersdorfii argumentum. Hic enim p. 34. „Cum Q. Pompejus, inquit, Sullae collega, urbem relinquere coactus esset, nam consulem eum occisum esse constat, Sulla Cinnam et Octavium consules fecit, ut in urbe consules essent. *Sulla in tam. gravi re, qualem sese exhibuerit certo rettulissent auctores, nisi tunc temporis in Graecia fuisset.*"

detrudamus. Atqui dimidiatus annus vix capit, quae ante Marii fugam et posthac, praesente adhuc Sulla, in Italia acciderunt. Post Marii enim fugam civitatis statum ordinavit Sulla, et colonias aliquot deduxit [1]), quod ipsum reliquam anni partem facile poterat absumere. Dolendum sane, quod quo tempore Marius expulsus sit, ignoramus. Attamen non nimio ab hieme intervallo eius fugam separaturum puto, qui hunc Appiani locum consideraverit. Marius, scribit [2]), ex Italia in Africam aufugit, *εἰργόμενος δὲ καὶ Λιβύης ὡς πολέμιος ὑπὸ Σεξτίου* (Plut. V. Marii c. 40. *Σεξτιλίου*) *διεχείμαζεν ἐν τῇ θαλάττῃ μικρὸν ὑπὲρ Λιβύην.*

Sed accedit aliud istius rationis incommodum. Si Sulla a. 88 Roma profectus est, primae pacis conditiones cadunt in postremum annum 87 aut initium anni 86, haud ita multo post proelium Orchomenium. Quod declarat narrationis apud Plutarchum Appianumque nexus; accedit, quod diserte Appianus [3]) Mithridatem, audita clade Orchomenia, Archelao imperasse ait, ut de pace cum Sulla ageret. Atqui de pace anno 84 demum coram inter eos convenit, nec ante solstitium aestivum in Fimbriam exercitus ductus est. Iam quis sibi persuadebit, Sullam, quem domesticae calamitates urgerent, integros duos annos in ferendis audiendisque conditionibus consumpsisse? Praesto erat victor exercitus et proditor Archelaus, qui consilia eius adiuvaret. Quid igitur moras toleraret? Nec Sulla erat cunctator. Nisi forte tres illae legationes et expeditio, quam interim alendi exercitus caussa in Thraciam fecit (haec enim intercessisse feruntur), duorum annorum spatium expleverunt. Denique, si nostram rationem amplecti recusaris, relinquitur, ut Plutarchum expeditionem illam, qua Sullam consuli Valerio in Thessaliam occurrisse tradit, prorsus finxisse statuendum sit, idque cum Sullae commentarios ad manum haberet.

Iam ad finem hujus disputationis pervenimus. Profectus est Sulla a. 87; captae sunt Athenae mense Martio a. 86.

Hoc demonstrasse videor, fortasse id etiam, Appianum et Plutarchum in Vita Sullae diversam inter se temporum

1) Epitome Livii L. 77.
2) B. Civ. I. p. 387.
3) Mithr. p. 206 supra.

descriptionem secutos esse. Una restat difficultas, quomodo Plutarchus Metellae fugam et aedium eversionem in a. 85 ponere potuerit; male procul dubio, ut supra ostendimus. Nam incidunt illa in finem a. 87; ipsa vero in initio a. 86 ad maritum venit. Sed ipse Plutarchi error hanc disputationem nostram comprobat.

Nam si re vera iam antiquitus non convenit de belli illius chronologia, alteramque Plutarchus, alteram Appianus nobis exhibuit, optime Plutarchi error explicari potest. Etenim qui Sullam a. 88 Roma profectum esse existimarent, Metellae fugam et aedium eversionem non poterant non collocare post proelium Orchomenium, sicut fecit Appianus. Verisimillimum est igitur, Plutarchum ex illis scriptoribus quempiam secutum, Sullae quidem rebus gestis illa eodem loco inseruisse, sed quia sic postulabat temporum, quam ipse secutus erat, ratio, ad initium a. 85 rettulisse, quod anno prius factum erat. De chronologia autem, quam Plutarchus in Vita Marii exhibuit, supra dictum est. Omnes igitur difficultates optime removentur, si mature duas temporum descriptiones fuisse statuimus, quarum alteram Appianus, alteram Plutarchus adoptaverit, ita tamen, ut utraque non ubique adcurate distinguenda in errores inciderent, omittere quaedam cogerentur, quae cum sua ratione conciliare nequirent, denique ipsi sibi ne sic quidem omnino constarent [1]).

EPIMETRUM.

Cum nostra memoria plerique Graecorum scriptorum tantum debeant virorum doctorum diligentiae, permolestum est, Dionem Chrysostomum tam diu derelictum iacere, qui neque indignus est nova editione, neque eruditae manus non indiget.

---

1) Metellam igitur ad maritum venisse oportet, cum Athenae adhuc obsiderentur. Nam Roma eo tempore aufugit, tuta vero nusquam erat, nisi apud maritum. Et fortasse ipse Plutarchus, etsi non consulto, eius rei indicium nobis suppeditavit. Nam in V. S. c. 7. et c. 13. et de Garrul. Tom. 10. p. 105 Hutten. saevitiae in Athenienses rationem ex conviciis repetit, quibus ipsum et Metellam de muris lacessiverint. Quae verba, si res integra est, ad praesentem potius quam absentem referuntur. — Ceterum sciens praeterii argumentum illud, quod temere quidam ex comparatione Graecorum et Romanorum mensium petiverunt.

Etenim, ut cetera taceam, quam parum curiose libri M. S. Parisini a F. Morello inspecti sint, argumento mihi est Oratio ad Alexandrinos. Possideo enim exemplum, in quo ad marginem illius orationis scripturae varietas ex duobus Codd. Parisinis enotata est.

Nunc vero, quoniam spatii aliquid typotheta mihi reliquit, corruptum Dionis et fere desperatum locum emendare conabor. In Orat. 45 (*ἀπολογισμὸς, ὅπως ἔσχηκε πρὸς τὴν πατρίδα*) Tom. II. p. 204. Reisk. haec leguntur: *ταῦτα δ' εἰ μέν ἐστι χρήσιμα (καὶ) μεγάλα, ἢ μὴ πολλοῖς ὑπάρξαντα ἑτέροις, ἀλλ' ἢ μιᾷ πόλει, καὶ ταύτῃ σχεδόν τι τῶν ἐλλογιμωτάτων κατὰ τὴν Ἀσίαν· καὶ τηλικοῦτον ἐχούσῃ δίκαιον πρὸς τὸν αὐτοκράτορα, τοῦ θεοῦ παρ' ἐκείνοις μαντευσαμένου, καὶ προειπόντος τὴν ἡγεμονίαν αὐτῷ, καὶ πρώτου πάντων ἐκείνου φανερῶς αὐτὸν ἀποδείξαντος τῶν ὅλων κύριον· οὐ λέγω τοιοῦτον οὐδὲν, ὅτι ὑμεῖς μάλιστα τούτου ἐπιθυμεῖτε, καὶ χρόνος ἦν πολὺς, ὃν ἠλπίζετε ἐξηπατῆσθαι τοῖς ὑποσχομένοις μόνον τῶν ἡγεμόνων· (οὐ γὰρ δὴ τῶν ἰδιωτῶν οὐδεὶς οὔτε προσεδόκησε πώποτε, οὔτε ὑπέσχετο) τιμὰς ὑπερβαλλούσας ἐδίδοτε· πρὸ πολλοῦ τῆς πόλεως ἀπαντῶντες πανδημεὶ καὶ περιμένοντες ἐν ἑτέραις πόλεσι τούτοις· ὡς ἐννοεῖν ἄξιον, καίτοι* seqq.

Hoc primum non difficile est intellectu, distinguendum esse *κύριον, οὐ λέγω τοιοῦτον οὐδέν· ὅτι δ'* (particulam enim inserendam esse statim apparebit) *ὑμεῖς* cett. Finiri autem periodum v. *ἐννοεῖν ἄξιον* satis apertum est; *καίτοι* enim apte novam periodum introducit, et inde ab hac voce nulla iam difficultate offendimur. Quid igitur postremis verbis *ἐν ἑτέραις πόλεσι τούτοις· ὡς ἐννοεῖν ἄξιον* faciendum est? Reiskius quidem *τούτους* mavult; quod cum prorsus supervacaneum sit, tum illa mutatione non multum lucramur. At nihil nisi literae rectius disponendae erant *τοῦτο ἴσως ἐννοεῖν ἄξιον,* quae referuntur ad v. *ὅτι δέ.* Quo facto facillime omnia intelligentur, praeter v. *καὶ χρόνος ἦν πολὺς ὃν ἠλπίζετε ἐξηπατῆσθαι* seqq.; in quibus Reiskius aut *καὶ ἐξηπάτησθε* aut *ἐξηπατημένοι* scribendum duxit; nempe ut coniungantur v. *ἐξηπάτησθε τοῖς ὑποσχομένοις* (pro *ὑπὸ τῶν ὑποσχομένων*). Idem deinde *καὶ* ante *τιμὰς* inserit. Quae ratio vix cuiquam placere potest. Nam ut omittam insolentiorem constructionem

τοῖς ὑποσχομένοις ἐξηπάτησθε, at *μόνον* illud, sive ad *ὑποσχομένοις* refertur (et sic fieri collocatio verborum postulat), sive ad *τῶν ἡγεμόνων*, ineptam orationem habebis. Contra si vocem *καὶ* ante *τοῖς ὑποσχομένοις* posueris, deleta post v. *ἡγεμόνων* distinctione, coniungere licebit *καὶ τοῖς ὑποσχομένοις-ἐδίδοτε*. Iam vero v. *ἐξηπατῆσθαι* haud dubie corruptum est, cuius in postremis litteris *καὶ* illud latere apparet; relinquitur *ἐξηπατης* i. e. *ἐξ ἀπατῆς*, quod cum *ἠλπίζετε* coniungendum est. Reliquum est, ut locum emendatius scriptum apponam.

Ταῦτα δ' εἰ μέν ἐστι — — κύριον, οὐ λέγω τοιοῦτον οὐδέν· ὅτι δ' ὑμεῖς μάλιστα τούτου ἐπεθυμεῖτε, καὶ χρόνος ἦν πολύς, ὃν ἠλπίζετε ἐξ ἀπατῆς, καὶ τοῖς — ἐδίδοτε, πρὸ πολλοῦ τῆς πόλεως ἀπαντῶντες πανδημεὶ καὶ περιμένοντες ἐν ἑτέραις πόλεσι· τοῦτο ἴσως ἐννοεῖν ἄξιον· καίτοι cett.

THESES.

I. In Plutarchi Vit. Pompeii c. 48. (Tom. IV. p. 201. Tubing.) pro *καὶ κατ' ἀντείσπραξιν* scribendum videtur *καὶ κατάντης πρᾶξιν*.

II. Ibidem c. 80. p. 234. pro *εἰς Αἴγυπτον* [*Αὔγουστος* sic Cod. S. G. et Iuntina] *οὕτω καταπεπληγμένην* — *ἄγους τοσούτου καταπεπλησμένην*.

III. Non videntur Athenienses, semel institutis XII. tribubus ad X. et deinde XI. rediisse.

IV. Errat Corsinus, qui Eusebium secutus Athenas, postquam in Antigoni Gonnatae ditionem venissent, eodem superstite rursus liberatas existimet.

V. Apud Thucydidem L. VI. c. 97. init. *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ταύτης τῆς νυκτὸς τῇ ἐπιγενομένῃ ἡμέρᾳ ἐξητάζοντο καὶ ἔλαθον αὐτούς* — corrupta videntur et reponendum — *ταύτης τῆς νυκτὸς καὶ* (sic Codd. quidam) *τῇ ἐπιγενομένῃ ἡμέρᾳ, ᾗ ἐξητάζοντο, ἔλαθον αὐτούς*.

VI. Demosthenes in Oration. in Pantaenet. p. 979. 4. Reisk. non videtur scripsisse *καταπεπλῆχθαι*, sed *καταπεπλάσθαι τὸν βίον*.

VII. Non temere factum est a Pindaro, quod in Pyth. IV. Epod. *δ*. cives Iasonem Oto et Ephialtae et Tityo, impiis et scelestis, comparantes fecit.

VIII. In Lysiae fragmento 6. p. 401. apud Bekkerum pro *δίκαιος δέ εἰμι μηδέν* — reponendum *δίκαιος δὲ εἶ μηδέν* — et statim pro — *συμβουλεύειν* — *συμβολαίου*.

II.

DE ORATIONE CORINTHIACA FALSO DIONI CHRYSOSTOMO ADSCRIPTA [1]).

Non equidem ignoro, bellum perpetuum et saevum programmatis esse cum propolis, his dico, qui adipem, farcimen, caseum minutatim vendunt; cum ob alias quasdam caussas, quas iam non adtinet enumerare, tum quod forma maiore in volgus prodire solent. Est autem certamen illud iniquissimum. Neque enim iusto dimicatur proelio, sed ubicunque programmata istis obviam fiunt, prehenduntur, lacerantur, et quod miserrimum est victis, foedantur turpissime. Iniquum est bellum illud *ἄσπονδον* et *ἀκήρυκτον* etiam ideo, quod programmatis moriendum est inultis. Nam quae illis tela, quae arma? Ne id quidem artificium, quo Herodes Atticus simulati desiderii monumenta tutari conatus est, diris devovisse laesuros, quidquam iuvat, siquidem propolae Latine non sciunt. Itaque eis una erat ante nostram memoriam salutis via, eadem quae leporibus, latendi. Nunc sane nova eis spes affulsit. Nam ex quo programmata scribendi consuetudo ab academiis ad gymnasia pleraque traducta est, ipsa multitudine isti obruentur, et manus immisericordes ingenti acervo tandem lassatae deficient. Ego, etsi quid futurum sit, animo provideam, tamen non deterreor, quin scribam; primum quod ita melioribus forte parcetur, deinde quod probos et honestos viros repertum iri existimo, quibus, quod ego auguror, libelli mei usus magis quam abusus esse videatur.

Verum non propolae tantum nobis cavendi sunt. Sunt enim, qui sinistre interpretantur, quaecunque ad Collegium Carolinum pertinent. Quorum iras non resecabimus ad vivum Quid enim? Tantum dico: ingenti gaudio exceptus est nuper

---

1) Primum edita est commentatio ad scholarum aestivarum Collegii Carolini auspicia celebranda anno MDCCCXXXII.

a quibusdam et laeta trepidatione latius disseminatus rumor, quasi Collegio Carolino interitus instaret.

At quicunque tamquam inferias concremati palatii illud ad exitium poscunt, hos apud animum suum reputare velim, non homines solum occisos suas sibi Furias habere, verum etiam deleta proba maiorum instituta. Quibus quisquis manum iniecit, illum, si nihil aliud,

ἐχθρὰ — κατέχει παντᾶ φάτις.

Porro non hos modo patriae proditores iure aestimari, qui eam hostibus tradant externis, sed etiam, qui, quantum in ipsis sit, domesticis, haud sane minus verendis, inscitiae, litterarum contemptui, arrogantiae, desidiae, omni denique nequitiae generi, quod cum hac coniunctum esse solet.

Haud diu est, cum spes enituit, fore, ut academia Iulia Carolina recidiva in hac nostra urbe pulcrius efflouresceret. Quod qui etiamnum futurum affirmant, utinam similes sint Cassandrae, incredibilia quidem, attamen eventura vaticinantis. Academiae, aiunt, concessurum esse Collegium. Nec ego quemquam repertum iri existimo, quin hunc eius interitum in lucro apponat. Sed ad talia adspirari vetant horum temporum rationes. Egregie nobis actum censebimus, si, quod unum reliquum est ex eis, quae priorum principum munificentia ultra gymnasia in usum litterarum et bonarum artium molita posteris tradidit, id meliore fide conservabitur, quam academia Helmstadiensis. Miserum hercle et indignum, si Collegium Carolinum eo nuper rapaces quorumdam manus effugit, ut nunc, cum nova rei publ. nostrae lux affulsit, nescio quibus diis inferis immoletur.

Clamant isti, non esse necessarium. Quibus occinimus, nihil per se esse necessarium, sed tantum ad certum quemdam finem revocatum. Sicut ne edere quidem necesse est, si quis fame perire non detrectat; nec scholis opus est ullis, si quis cum belluis vivere, quam hominibus mavolt. Verum aut fallor, aut in universa rerum natura nihil minus desideratur, quam homines de his, quae non intelligunt, temere iudicantes.

Sin autem Collegium Carolinum eo nomine culpatur, quod non omnia praestantur, quae aut iure aut iniuria quidam ab eo exspectant postulantque: non ego tam socors sum, ut nihil esse, quod aut sublatum aut additum velis, contendam. Modo,

ante quam damnetur, inquiratur, quale sit; deinde, quorum culpa sit tale. At longus esse nolo, ne iis molestus sim, qui huic libello typis describendo benigne sumptus praebuere. — Illud addo, nihil me dixisse, quo cuiusquam animum offenderem; aut eam ob caussam, quod ego iam Collegii Car. doctoribus adnumeror, denique quod paterna mihi cum eo coniunctio intercedit: sed quia et ipse magnam huius qualiscunque eruditionis meae partem illi acceptam refero, et alios multos plurimum ei debere scio.

Restat, ut de argumento huius programmatis dicatur. Tertio abhinc anno de Dione Chrysostomo libellum edideram [1]). Cuius in praefatione idoneum et integrum opusculi mei iudicem postulaveram. Obtigit mihi idoneus; pro integro benignus, I. Geelius, Batavus, vir, quem honoris caussa nomino [2]). Huius iudicio fretus aliquam otii mei partem in Dionem impendere non destiti. Subsidiis autem, sine quibus Critici *δελφῖνος*, aiunt, *ἐν χέρσῳ βία*, adeo fui destitutus, ut iterum de Dione aliquid publicare haud sustinuissem, nisi primum altera certe huius libelli pars non versaretur in scripturae veritate iudicanda, ad quod subsidiis illis utimur; deinde mihi persuadeo, e libris vel manu vel typis descriptis haud multum utilitatis ad corruptissima Dionis volumina redundaturum esse [3]). Ne id quidem mihi contigit, ut novissimam Dionis editionem [4]), quam anno MDCCCX Neophytus Ducas Vindobonae III. voll. suis sumptibus publicavit, nanciscerer. Nam ipsum eius auctorem cuncta secum exempla in Graeciam abstulisse, roganti mihi per literas responsum datum est.

Ceterum vix necesse est monere, multos me post editum a me libellum errores deprehendisse, id quod in tanta coniecturarum multitudine consentaneum erat. Quorum singulos confiteri et retractare supersedi. Vel sic isti non latebunt, siquidem in aliorum erroribus perspicaciores sumus, quam opus est, mortales.

---

1) Observationes in Dionem Chr. auct. A. Emperio. Lips. 1830. sumptibus F. Ch. Guil. Vogelii.

2) Eius censura reperietur in Bibliotheca Critic. nova V., 2. p. 481—484.

3) Eadem est Geelii sententia.

4) Hanc suspicor etiam Geelio fuisse ignoratam.

Orationem Corinthiacam, quae XXXVIIma numeratur inter Dioneas [1]), cum primus mihi viderer perspexisse, non esse Dionis, idque significassem in opusculo meo p. 50., postea intellexi, potuisse me summi viri auctoritatem interponere, Niebuhrii, quem in eadem sententia fuisse ex eius Histor. Rom. Tom. I. p. 118. colligitur. Quod docuit me Geelius in libelli mei, quam modo commemorabam, censura. Nec Grauertum aliter sensisse coniicio, cuius Theses ad calcem disputationis Aesopeae propositas idem citavit Geelius, ego inspicere non potui. Quod vero tam diu verum latuit, non tam aliqua rei obscuritas in caussa est, quam neglectus, in quo usque ad nostrum aevum Dionis opera iacuerunt. Nam quicunque animo adtento et uno tenore Dionis orationes perlegit, is cum ad Corinthiacam pervenerit, tantam et sermonis et ingenii disparilitatem deprehendet, ut vix alia, quae a rebus in eo commemoratis ducantur, indicia desideret. Neque enim aliqua fraude accidit, ut Corinthiaca Dionis voluminibus insereretur, neque convincenda est falsarii astutia; sed tantum revocandi sumus a socordia eorum, qui primi Dionis opera in unum corpus collegerunt. Et haec quidem disputatio non est hercle vel moliminis magni vel periculi [2]).

In eo tamen haud acquiescendum ratus, maioris rei aleam adire sustinui. Conatus sum orationem a Dione abiudicatam alii auctori addicere. Quod si mihi hactenus cesserit, ut aliquam veri speciem coniecturae meae conciliem, egregie mecum actum existimabo. Nam persequenda erant vestigia rara, nec ea satis expressa, quoniam eius, quem in Dionis locum substituturus eram, etsi scriptoris haud ignobilis, nulla tamen, ad quae Corinthiaca exigatur, ingenii monumenta exstant.

Primum igitur, cur Dioni tribui nequeat, paucis exponamus. Satis constat, Hadriani temporibus desertis iam litteris Graecis novam lucem affulsisse. Multorum studia eodem incubuere, quo Imperatoris graecissantis subinanis ambitio. At

---

1) Tom. II., p. 101—128. Reisk.

2) Ne quis miretur, in scriptore tam serae aetatis sic potuisse errari, ad Philostrati de Vitis Sophistarum libros provocamus. Hinc apparebit, vel Philostrati tempore de eorum operum auctoribus dubitatum esse, quae eodem saeculo, vel paullo ante edita erant. Ne plura iam afferam conf. p. 524 et p. 528 Olear.; de Favorini in Proxenum libello p. 491.

Graecae huius aetatis eruditioni originis notae inustae sunt. Quantum enim ab aulici adsentatione observantia distat amici, tantum a vetere et libera, suscitata illa ab Hadriano et tamquam imperata litterarum Graecarum tractatio. Quippe Imperatoris sponte, sed invita Minerva plerique graecabantur.

Quod cernitur et in rebus, quae commentabantur, et in oratione. Mansit sane aliquantum Alexandrinae illius diligentiae, et ipsa philosophia, sectarum limitibus per syncretismum conturbatis, ad philologiam propius admota est; sed plerumque delabebatur ad captiosa, futilia, inania, quae tantummodo speciem doctrinae haberent. Intelligas, vel eruditionem defloruisse.

Lingua autem Graecorum indies in deterius ferebatur [1]). Quid, quod Athenienses non amplius pure casteque loquebantur, sed non nisi interioris Atticae incolarum sermo aliquam veteris dialecti similitudinem referebat [2]). Erat igitur iis, qui Graece scribere volebant, ad antiqua litterarum monumenta confugiendum. Quae veterum imitatio si modesta erat et certis finibus circumscripta, perutilis erat et necessaria. Nam tota Graecorum vita in deterius inclinata, non poterat solus sermo proficere et in melius excoli; magnum erat, praesentem eius pravitatem e veteris elegantiae exemplis emendari, et lapsum inhiberi paullisper. At, quod etiamnum usu venit eis, qui sermone non domestico et nativo utuntur, inciderunt plerique in servilem quandam et illepidam imitationem. Aucupabantur voces et dictiones eis, quos admirabantur, solennes; vocabulum autem probati scriptoris auctoritate destitutum usurpasse, capitale erat. Indignum est quisquilias rerum et ineptias saepe Demosthenis, Lysiae, Platonis centonibus exornatas videre; asellum dicas leonis pelle indutum.

Quod quia ipsos non omnino fugiebat eius aevi scriptores, fingebant sibi talia argumenta, quae melius congruerent cum illa sua vocabulorum et dictionum supellectili, et in quibus impune vociferari liceret; non rebus nomina, sed nominibus res quaerentes. Ita factum est, ut non raro in iisdem, quibus

1) Apollon. Tyanens. Ep. 34. Philostr. Olear. p. 393. *ἐβαρβαρώθην, οὐ χρόνιος ὢν ἄφ' Ἑλλάδος, ἀλλὰ χρόνιος ὢν ἐν Ἑλλάδι.*

2) Phil. V. S. p. 553.

veteres illi scriptores versati fuerant, argumentis vires suas experirentur, et iniquissima aemulatione cum his contenderent, quibus et argumenta et verba sua deberent.

Pertinet haec oratio ad insolens istud genus sophistarum, quod Hadriani aetate exstitit, quodque exinde in summo habitum esse honore, non dubium est, etiamsi Philostrati et Eunapii oratoriis figuris haud nimium tribuimus [1]). Haec recentior sophistica sola dicendi facultate finitur, quo ipso a vetere illa differt sophistica, quam insectati sunt Socratici. Quamquam etiam hoc genus sophisticae, sane quam innoxium, tralaticia cum nomine inimicitia, a philosophis, non melioribus plerisque, allatrari solitum est. Hi contra iactabant se, et sophistarum nomine gloriabantur, irridebantque ut eloquentiae rudes philosophos. Quorum si qui excellebant dicendi facultate, ut gratum facturi, in confinio philosophiae atque sophisticae collocabant; sicut Dionem Chrysostomum, qui haud dubie hunc honorem impense deprecatus esset. Sophistarum ea erat ratio, ut ad dicendum, quam ad scribendum essent proniores; adeo vocis actionisque suavitate insulsas plerumque sententias venditabant. Laudis autem cumulus erat, si quis ex tempore copiose poterat et sine haesitatione dicere. Eorumdem sophistarum propria est importuna magniloquentia, ut portenti instar Hippodromi sophistae esset modestia [2]). Est autem communis quaedam huius sophisticae indoles, etsi genera eius diversa agnoscantur, tam signata et expressa, ut nequeat ignorari; et quoniam ad alia quoque litterarum genera aliquid coloris illius sophistici redundavit, hoc uno indicio plerumque iudicari licet, quid ante Hadrianum scriptum sit, quid postea.

---

1) A sophistis distinguuntur rhetores, qui forensem eloquentiam aut docebant, aut ipsi exercebant. Sophistae, tametsi interdum caussas agerent, tamen hoc ipso insignes sunt, quod neque ad certum quoddam literarum genus, vel vitae aliquem usum, certum denique finem dicendi facultatem revocabant, ut veteribus sophistis hoc certe semper fuit propositum, ut persuaderent. Istos honestum genus histrionum dixeris, quorum mores quoque referebant. Victum autem plerique sophistarum hinc quaerebant, ut aut publice aut privatim discipulis artem suam traderent Alii singularum ἐπιδείξεων mercedem ab auditorio, quotquot forte convenerant, exigebant.

2) Phil. V. S. p. 616. conf. p. 535.

Oratio Corinthiaca referenda est ad illud genus, quod vocabatur *διάλεξις*, cui opposita est *μελετή*. Dialexis semper ad rem et veritatem et praesentem aliquem vel dicentis vel auditorum usum refertur, sive illi hortandi sunt aut monendi, sive docendi aut dedocendi, sive laudandi, aut vituperandi; ficta vero vel ex antiquis temporibus recocta argumenta prorsus exclusa sunt [1]). Contra melete haec etiam argumenta admittit, quoniam hoc in genere non quid dicatur, quaeritur, sed quomodo.

Argumentum Corinthiacae hoc est. Corinthii rumoribus adversis, sed iis, ut auctor contendit, falsis ducti, statuam eius, propter facundiam viri et philosophiae studium in publica bibliotheca collocatam, e medio sustulerant. Hanc eorum iniquitatem multa cavillatione ita irridet, ut ad memoriam suam conservandam statuis non admodum opus esse significet. Habita est autem non coram senatu, ut visum est Reiskio, sed in concione populi, sive potius horum, qui ad auscultandum convenerant. Toto autem genere huius dialexis oratio differt a Dionea, traxitque sophisticum illum colorem, quem Hadrianeae aetatis indicium esse pronuntiavi. Neque illa diversitas omnino latuit summum virum, I. Casaubonum, qui usquam negat vel facundiorem vel vehementiorem Dionem esse, ut merito inter eximias eius orationes haec censa sit a Photio. Cuius iudicii tantum tenemus, discrepantiae notationem, de praedicatione suum cuique arbitrium esto. Dionis oratio perlongas habet periodos et perplexam admodum compagem; copiosa fluit, saepe etiam turgida, ut eum intelligas in dicendo non esse sui calumniatorem.

Contra Corinthiacae oratio concisa est, et captat acumen, frigetque quaesita simplicitate; vel molestiora sunt aliquot oratoria *ἀπανθαδήματα*, quibus passim distincta est ista tenuitas [2]).

Affectat autem vividi quandam speciem non modo e re-

1) De hac distinctione non mihi convenit cum Cresollio, doctissimo Iesuita, cuius in Theatro sophistarum multa leguntur de his rebus diligenter disputata. *ἐπίδειξις* non est tertium quoddam genus, sed et melete et dialexis epidixis esse possunt. Quod enim ipsum nomen indicat, arti probandae et ostentandae inservit epidixis.

2) Qualia sunt illa, quibus statuam suam compellat, *ὦ λόγων ἐμῶν σιγηλὸν εἴδωλον.*

rum desultoria vicissitudine, sed etiam ex istis dicendi figuris, quibus ab oratione languor depellitur [1]).

Dio veteris historiae exempla frequentat; Corinthiaca umbratili eruditione scatet, et inepta doctrinae ostentatio tota oratione pertinet. In quo multa reperiuntur satis violenter et imperiose ad res alienissimas traducta, et diligens eorum etiam narratio, quae ad propositum nihil pertinerent.

Porro numeri orationis fracti sunt, et super dicendi consuetudinem modulati; canere mulierem, non virum orare dixeris.

Denique non omittenda est religiosissima, qua ipse gloriatur [2]), Attici sermonis observatio, quam apud Dionem haud perinde reppereris.

Iam accedamus ad alteram huius quaestionis partem, qua Corinthiacam cum moribus et vita Dionis comparemus. Et primum quidem frequens et importuna gloriatio ab usitata Dionis modestia dissidet. At istud argumentum erunt, qui ita infirment, ut contumelia Corinthiorum ad suas laudes praedicandas eum provocatum esse dicant. Ad alia igitur manifestiora indicia transeamus.

Is qui Corinthiacam habuit philosophiam profitetur, sed non minorem ex eloquentia gloriam sibi vindicat. Hactenus Dionis simillimus. Porro multas civitates summis se honoribus cumulasse gloriatur; multas ad se invitasse, denique Imperatoris animum se Graecis conciliasse, quae cuncta Dio quoque de se poterat praedicare, et saepe praedicavit [3]).

Idem civem se Romanum dicit, quod ei cum Dione commune est. Nam Dio, cuius avus maternus et mater alicuius Imperatoris beneficio cives Romani facti erant [4]), ipse civitatem Rom. impetravit a Nerva, quocum vetusta familiaritate coniunctus fuerat, etsi eum, dum imperator erat, morbo detentus, Romae convenire non potuit. Hoc verissime e nomine Cocceiano collegit Valesius [5]).

---

1) Sicut frequens est asyndeton.

2) p. 114. v. 31. Reisk.

3) conf. Tom. II., p. 197. Reisc. et totam Orat. 47. De Imperatoris consuetudine et amicitia (Traiani) II., p. 234.

4) conf. Tom. II. p. 181.

5) vid. Valesii Emendatt. ed. Burmanni p. 43—47. Nam Cocceia-

At quid illud est, quod Corinthiacae scriptor equitem Romanum se profitetur? [1]) Equestris ordinis Dionem fuisse, prorsus ignoramus. At esto eques Romanus [2]). Nam aliud superest tam certum argumentum, ut illa vix desideremus. Totus autem locus exscribendus est. *Εἰ δέ τις οὐ Λευκανὸς ὤν, ἀλλὰ Ῥωμαῖος, οὐδὲ τοῦ πλήθους, ἀλλὰ τῶν ἱπποτρόφων, οὐδὲ τὴν φωνὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν γνώμην καὶ τὴν δίαιταν καὶ τὸ σχῆμα τῶν Ἑλλήνων ἐζηλωκώς, καὶ τοῦθ' οὕτως ἐγκρατῶς καὶ περιφανῶς, ὡς οὔτε τῶν πρὸ αὐτοῦ Ῥωμαίων, οὔτε τῶν καθ' αὐτὸν Ἑλλήνων (εἰρήσεται γάρ) οὐδὲ εἷς· τῶν μὲν γὰρ Ἑλλήνων τοὺς ἀρίστους ἔπεισε πρὸς τὰ τῶν Ῥωμαίων πράγματα ἀποκλίνειν· τὸν δὲ προστάτην, πρὸς τὰ τῶν Ἑλλήνων· καὶ τὸ πολιτικὸν ἀξίωμα, καὶ πάνθ' ἁπλῶς προϊέμενος, ἵν' αὐτῷ περιῇ ἓν ἀντὶ πάντων, Ἕλληνι δοκεῖν τε καὶ εἶναι· εἶτα τοῦτον οὐκ ἐχρῆν παρ' ὑμῖν ἑστάναι χαλκοῦν; καὶ κατὰ πόλιν γε· παρ' ὑμῖν μέν, ὅτι Ῥωμαῖος ὢν ἀφελληνίσθη, ὥσπερ ἡ πατρὶς ἡ ὑμετέρα· παρ' Ἀθηναίοις δέ, ὅτι ἀττικίζει τῇ φωνῇ· παρὰ Λακεδαιμονίοις δέ, ὅτι φιλογυμναστεῖ· παρὰ πᾶσι δέ, ὅτι φιλοσοφεῖ. καὶ πολλοὺς μὲν ἤδη τῶν Ἑλλήνων ἐπῆρε συμφιλοσοφῆσαι αὐτῷ, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ τῶν βαρβάρων ἐπεσπάσατο. ἐπέπειστο μὲν γὰρ καὶ ἐδόκει ὑπὸ τῶν θεῶν οἷον ἐξεπίτηδες παρεσκευάσθαι· Ἕλλησι μέν, ἵνα ἔχωσιν οἱ ἐπιχώριοι τῆς Ἑλλάδος παράδειγμα, ὡς οὐδὲν τὸ παιδευθῆναι τοῦ φῦναι πρὸς τὸ δοκεῖν διαφέρει· Ῥωμαίοις δέ, ἵνα μηδ' οἱ τὸ ἴδιον ἀξίωμα περιβεβλημένοι τὸ παιδεύεσθαι πρὸς τὸ ἀξίωμα παρορῶσιν· Κελτοῖς δέ, ἵνα μηδὲ τῶν βαρβάρων μηδεὶς ἀπογιγνώσκῃ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας, βλέπων εἰς τοῦτο.* Haec quomodo Dio potuit de se praedicare, qui Prusae, Graeca civitate, natus educatusque esset? [3]) Ut ante Nervam Imp. civis Romanum Dionem Prusensem a Plinio in Epist. ad Traian. 85 commemoratum eundem esse cum Dione Chrysostomo, si quidquam aliud, certum est.

1) *τῶν ἱπποτρόφων* Tom. II. p. 113.

2) De eius re familiari conf. Orat. 46. Tom. II. p. 214 sqq. unde erunt fortasse qui colligant, fortunas eius censum equestrem explevisse. Sed propterea non continuo eques fuit Romanus.

3) De maioribus Dionis, qui magna cum laude inter primores civitatis locum suum diu obtinuere conf. Tom. II. p. 195.

nus fuerit [1]); at quo tandem pacto a Romanis moribus ad Graecos deficere potuit (*ἀφελληνίσθην*)? Porro quid sibi volt neglecta nominis Romani maiestas; quid res familiaris susque deque habita? Omnino nullus alius Dionis locus reperitur, quo diserte civem se Romanum dixerit, non modo iactarit. In iisdem, quae attulimus, Corinthiacae verbis aliud est, quod negotium facessat, si quis Corinthiacam Dioni vindicare sustineat. Magnam habet Gallorum mentio difficultatem. Etenim Dionem, multum sane peregrinatum [2]), Gallias petivisse, neque ipse usquam significavit, neque aliunde constat. Accessit Aegyptum; Asiae Minoris plerasque civitates circumivit; Borysthenem invisit et Getarum terras (Moesiam et Daciam); quarum peregrinationum multae eius orationes testes sunt, a locis, quibus quaeque habitae sunt, nominatae; Gallicam nullam habemus [3]).

Corinthiacus orator non reticuit, quam ob caussam statua sua e bibliotheca eiecta esset. Quasdam falsas criminationes, ait, Corinthiorum animos a se abalienasse. Quales vero isti rumores fuerint, nec difficile est perspicere et pridem perspexit Reiskius. Incusabatur quoddam eius Romae commissum libidinosum flagitium [4]); obscurius vero aliqua Imperatoris of-

---

1) Domitiano imperante si civis fuisset Romanus, haud, opinor, scripturus erat, quae leguntur in Borysthenitica Tom. II, p. 81. *εἷς δὲ ἐν αὐτοῖς μόνος ἐξυρημένος· καὶ τοῦτον ἐλοιδόρουν καὶ ἐμίσουν ἅπαντες. ἐλέγετο δὲ οὐκ ἄλλως τοῦτο ἐπιτηδεύειν ἢ κολακεύων Ῥωμαίους καὶ τὴν πρὸς αὐτοὺς φιλίαν ἐπιδεικνύμενος· ὥστε εἶδεν ἄν τις ἐπ᾽ ἐκείνου τὸ αἰσχρὸν τοῦ πράγματος καὶ οὐδαμῇ πρέπον ἀνδράσιν.*

2) conf. Tom. I. p. 422.

3) Borysthene fuit tempore exilii, Imperante Domitiano, conf. Tom. II. p. 74. Hinc per Scythiam Getarum terras adeundi consilium ceperat, quod num exsecutus sit illo tempore, ex ipsius scriptis colligi nequit, tradit tamen Philostratus in eius vita. Certum est, Imperante Traiano, cum bellum cum Dacis gereretur, in Moesiam eum profectum esse ad Danubium et castra Romana; conf. Tom. I. p. 378. v. 10.

Alexandriae aut saepius aut bis fuit. Nam convenit ibi Vespasianum, modo rerum potitum, auctore Philostrat. Vit. Apollon. p. 214. Olear. Fuit autem Alexandriae Vespasianus mense Iulio a. 69. p. Ch.; vid. Tacit. Histor. II., 79.; Sueton. Vesp. c. 6. Alexandrina vero Dionis oratio Traiani temporibus assignanda est. Certe non scripta est Imp. Vespas.

4) Collegit illud Reiskius ex his verbis p. 118, 41: *οὐκ ἀναμνησθήσεσθε πρὸς ἑαυτούς, εἴ τι τοιοῦτον αὐτῷ παρ᾽ ὑμῖν πέπρακται; καίτοι πόλιν οἰκεῖτε τῶν οὐσῶν τε καὶ γεγενημένων ἐπαφροδιτοτάτην· ἀλλ᾽ ὅμως*

fensa istis criminationibus immixta significatur. Iam vero quantum de moribus fortunisque Dionis nobis innotuit, cuius *ἐς πάντα ἀρετήν* Philostratus praedicavit, haud probabile est, in tam ignominiosam eum suspicionem incidisse, neque unquam apud Traianum in offensa fuisse memoriae proditur [1]).

Permolestum nobis accidit, quod in tota Corinthiaca nullum exstat temporis, quo habita sit, certum indicium. Quodsi Imperator, cuius saepius mentio fit, Traianus esset, ut Reiskius opinatus est, alius argumenti copiam lucraremur. Nam in enumerandis virtutibus suis meritisque Dio non oblitus esset constantiam et fortitudinem, quo Domitiani saevitiae obviam ierit, et diuturni exilii tulerit aerumnas. Itaque, si Dionis es-

---

οὐδὲν ἠκούσατε· θαῤῥῶν δ' ἂν εἴποιμι, ὅτι μηδὲ ἄλλος τις Ἑλλήνων. εἶτα τὸν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος ἐν πλείονι ἀδείᾳ καὶ συγγώμῃ κοσμίως βεβιωκότα, τοῦτον ἐπὶ τῆς Ῥώμης παρ' αὐτὸν τὸν ἄρχοντα καὶ τοὺς νόμους ἡγεῖσθε μεταβεβλῆσθαι; ἀλλὰ τοῦτό γε παραπλήσιόν ἐστιν, ὥσπερ ἂν εἴ τις τὸν ἀθλητὴν φαίη κατ' αὐτὸν μὲν εὐτακτεῖν, ἐν δὲ τῷ σταδίῳ καὶ παρὰ τὸν ἀγωνοθέτην πλημμελεῖν. παῤῥησίαν δὲ ἄγω διπλῆν· ἑνὸς μὲν τοῦ συνειδότος (conscientiae), *ἑτέρου δὲ τοῦ ἀγωνοθέτου [οὗπερ ἦν] πεπιστευκότος μέν, πᾶσαν τιμωρίαν παρὰ τοῦ ἡμαρτηκότος λαβεῖν, ἀκούσαντος δέ, μηνῦσαι, ὅπερ ἐκεῖνος ἐποίησεν.* — Nec temere orator orationis suae *ἐπαφροδισίαν* criminationum caussam dixisse videtur; ad eandem suspicionem faciunt calumniarum exempla p. 117. v. 11. ab eo adlata. Postrema periodus loci, quem lectorum magis, quam de mea commoditate sollicitus, integrum exscripsi, verbis *οὗπερ ἦν* de Reiskii coniectura repositis, intelligi potest. Sed ultima eius pars multum habet ambiguitatis. Nam violentior est Reiskii interpretatio „publicaret id, quod ego fecissem" i. e. quod me insimularent fecisse, v. *ἐκεῖνος* ad ipsum oratorem relato. Contra si *ἐκεῖνος* Imperator est, minus commoda est sententia. Sequeretur enim, criminationem illam et delatam esse ad Imperatorem et ab eo publicatam, in quo non magnum est, opinor, eius innocentiae argumentum. Tolletur ista difficultas, si scripserimus *οὐχ ὅπερ;* aut *μηνῖσαι* (pro *μηνῦσαι*) „irasci (delatoribus)." At temerarium est in ea rei obscuritate quidquam decernere. Tantum dico, oratorem ad Imperatoris iudicium sic videri provocare, ut inimicos etiam Imperatoris nomine usos esse credibile sit.

1) Traiani, cui scriptae sunt aliquot eius commentationes, familiaritate passim ipse gloriatur. Quamquam ineptum est, quod narrat in eius vita Philostr. et inde alii „*Τραϊανὸς γοῦν αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσιν, ἔλεγε θαμὰ ἐπιστρεφόμενος πρὸς τὸν Δίωνα· τί μὲν λέγεις οὐκ οἶδα· φιλῶ δέ σε ὡς ἐμαυτόν*", quod scurrae est, non Traiani. Ceterum idem Philostratus Vespasianum familiariter Dione usum esse contendit Vit. Apollon. p. 213. Sed tota illa narratio sublestae fidei est.

set oratio Corinth., sequeretur, ut imperante aut Vespasiano, aut Tito aut Domitiano aut Nerva esset habita. Atqui Dio Nervam rerum potitum Romae non convenit; auctor Corinthiacae, cum Imperatore suo Romae se fuisse testatur. Igitur ii relinquerentur Imperatores, sub quibus Dionem nondum civem Romanum fuisse, supra declaravimus. Et haec quidem hactenus.

Veniamus ad quaestionem longe difficiliorem, cui auctori adiudicandam Corinthiacam opinemur.

Favorini philosophi, qui Impp. Traiano et Hadriano floruit, nulla exstare putantur ingenii monumenta. At tanta et doctrinae et eloquentiae laude inclaruit, ut et de vita eius et moribus et dicendi scribendique genere multa passim reperiantur memoriae prodita. Vitam eius scripsit Philostratus V. S. p. 489. Olear. [1]).

Iam Corinthiacam, si fieri possit, Favorino vindicaturi, quae de eo narrantur, ad illam exigamus. Quod autem supra diximus, certis documentis caussam nos probaturos haud spondemus; sicut ipsum argumentationis exordium satis infirmum est.

Favorinus natus est Arelati, Galliae urbe ad Rhodanum sita [2]). Erat autem Arelatum celeberrimum emporium, coloniae Romanae titulo post Caesaris mortem decoratum [3]). Iam Favorinum Equitem Romanum fuisse, nusquam memoratur. Nihil tamen impedit, quin ut Seneca Cordubensis „Equestri et provinciali loco" natus fuerit. Nomen certe Favorini Romanum est [4]). Num et familia Equestri fuerit, quales multae in urbibus mercatura celebrioribus habitabant, aut ipse demum ad dignitatem Equestrem enisus sit is, qui Corinthiacam habuit, ex eius verbis effici nequit [5]). Si cui census erat Equester [6]), ad il-

---

1) E recentiorum libris conf. Bruckeri Tom. II., p. 166. Fabric. B. Gr. Tom. III., p. 59; et quae mihi non fuere ad manum, I. F. Gregorii II. Commentt. de Favorino. Laub. 1755. 4., et Forsmanni diss. de Favor., philos. Academico. Abo. 1789. 4.

2) Praeter Philostrat. conf. Lucian. Eunuch. §. 7. Tom. V. p. 209. Bip. *καί τις Ἀκαδημαϊκὸς εὐνοῦχος ἐκ Κελτῶν, ὀλίγου πρὸ ἡμῶν εὐδοκιμήσας ἐν τοῖς Ἕλλησιν.* conf. Xiphil. in Hadrian. p. 257. Steph.

3) Auson. de clar. Urb. 7, 2. et Strabo. p. 173. Basil.

4) Memoratur antiquior Favorinus, orator Romanus, apud Gellium 15, 8.

5) Totum locum supra exscripsimus.

6) Conf. Plin. Ep. I., 19; Nieb. II. R. I. p. 483.

lum honorem promoveri non omnino difficile erat. Adde, quod eundem viris doctrinae laude insignibus haud raro Imperatores tribuebant [1]). Potuit igitur aut a Traiano, aut ab Hadriano, priusquam familiaritas, quae ei cum Favorino intercedebat, aemulatione conturbata est, dignitatem illam impetrare.

Quod autem vidimus de Dione Prusaensi, quamvis cive Romano, nullo pacto dici potuisse „*Ῥωμαῖος ὢν ἀφελληνίσθη ὥσπερ ἡ πατρὶς ἡ ὑμετέρα* (Corinthus)," in civem Romanum, Arelati natum, egregie cadit. In Gallia enim Transalpina tametsi Graecis litteris multi delectarentur, quaedam vero civitates prorsus Graeco sermone et Graecis moribus uterentur [2]), Massiliam dico eiusque colonias: Arelatum tamen, a litore remotius, Graecis civitatibus accenseri non debet. Atqui multis testimoniis docemur, Favorinum etiam Latini sermonis gnarum fuisse, „quem tantum subsecivo et tumultuario studio coleret [3])".

Porro, si Favorinum Corinthiacae auctorem esse statuimus, in aprico est, cur post Graecos et Romanos ad sapientiae studium a se instigatos etiam Gallorum mentionem fecerit [4]).

Corinthiacae auctor philosophiam profitetur; sed idem dicendi facultate se iactat [5]). In quo Favorinus ipsius Dionis,

---

1) Sic idem Hadrianus Dionysium Milesium Equitum ordini adscripsit. Phil. Vit. Soph. p. 524. Eidem Dionysio postmodo obtrectavit, non secus ac Favorino. Xiphil. Adrian. p. 257. Steph. — Eundem honorem Caracalla Heliodoro habuit Arabi. Philostr. p. 626. — De familiaritate Hadriani et Favorini conf. Spartian. Hadr. c. 16.

2) Vide Strab. IV. p. 273. Almelov.; et Lucian. Hercul. §. 4. Postremis rei publicae temporibus scholae Massilienses Atheniensibus frequentiores erant. Quod postea refrixit. Philostrato miraculi instar est, *Γαλάτην ὄντα ἑλληνίζειν.*

3) Gellii verba sunt, 13, 14, 4. conf. 2, 22, 1. et 3, 1, 1.

4) *Κελτοῖς δὲ, ἵνα μηδὲ τῶν βαρβάρων μηδεὶς ἀπογιγνώσκῃ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας.*

5) p. 118. Reisk. *ὁ ψόγος ἀφορμὴν ἔλαβεν ἐκ τῆς περὶ τοὺς λόγους, εἶτ᾽ ἐπαφροδισίαν αὐτὴν, εἴθ᾽ ὅ, τι δήποτε χρὴ καλεῖν τοῦθ᾽, ὃ καὶ ὑμεῖς σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις ἀπεδέξασθε;* et saepius. Erat Favorinus sane Academicus, sed nullius philosophiae contemptor; sicut de sceptica philosophia *X* libros edidit (Gellius 11, 5, 5.), contra quos scriptus est Galeni de optimo docendi genere libellus. Ingenti eruditionis amplitudine excellebat, et „memoria egregia et divina." (Gell. 13, 14, 5.). — „*ᾀδόξους ὑποθέσεις* (infames materias) oppido quam lubens noster Favorinus dice-

cuius auditor fuit [1]), exemplum secutus est. Inde accidit, ut a Philostrato cum Dione inter hos recenseretur, qui medium quodammodo inter philosophos et sophistas locum obtinerent.

Plurimi et Romae et Athenis Favorini sectatores et admiratores fuere, et inter hos Romanae iuventutis nobilissimi, ut non temere Corinthiacae auctorem, si is Favorinus est, gloriatum esse appareat [2]).

Quod autem auctor Corinthiacae, *ἔπεισα*, inquit, *τὸν προστάτην* (Imperatorem) *πρὸς τὰ τῶν Ἑλλήνων ἀποκλίνειν*, et Hadriani moribus congruum est, et Favorini cum Hadriano consuetudini, de qua dictum est supra.

Orator Corinthius et in Graecia et Romae et in Gallia versatum se significat; ibidem commoratus est etiam Favorinus [3]).

Porro Corinthiacae auctor haud obscure aliquod libidinosum flagitium falso sibi exprobari conqueritur. A qua suspicione haud abfuisse Favorinum, quamvis eunuchus vel Hermaphroditus vulgo haberetur, testis est Philostratus [4]).

Denique Imperatoris offensam, ad quam Corinthiacae quaedam verba referri mihi visa sunt, non effugit Favorinus. Etenim Hadrianus ita erat hominum doctorum patronus, ut cunctis semet doctiorem videri vellet. Ista vanitas etiam Favorino

---

bat, sicuti cum Thersitae laudes quaesivit, et cum febrim quartis diebus recurrentem laudavit." Gell. 17, 12, 1. — „Hanc sententiam memini a Favorino inter ingentis omnium clamores detornatam inclusamque verbis his paucissimis." (Gell. 9, 8, 4. conf. 17, 12, 1.). *τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν ἀρίστην εἶναι διδασκαλίαν φησὶν Φαβωρῖνος.* Galen. de optimo docendi genere, statim ab initio. —

1) Teste Philostrat. l. l. — Favorini philosophandi ratio rursus aliis placuit; ut Asiae Proconsul Quadratus a. 895 a. u. c., qui saepius apud Aristidem memoratur, *τὸν Φαβωρίνου τρόπον ἐσοφίστευε*; et Alexander Peloplato (Philostr. V. S. p. 576.). — Etiam Gellius consuetudine et institutione Favorini usus est. Hinc multa de eo narrantur in Noctt. Attic.

2) Phil. l. l. *διαλεγομένου δὲ αὐτοῦ κατὰ τὴν Ῥώμην μεστὰ ἦν σπουδῆς πάντα. καὶ γὰρ δὴ ὅσοι τῆς Ἑλλήνων φωνῆς ἀξύνετοι ἦσαν, οὐδὲ τούτοις ἀφ' ἡδονῆς ἦν.* conf. Gell. 12, 1, 1.

3) Locis supra adlatis adde Gell. 4, 1, 1. et 20, 1, 6. et sis Paulum Diacon. X., 9.

4) L. l. *θερμὸς δὲ οὕτω τις ἦν τὰ ἐρωτικά, ὡς καὶ μοιχοῦ λαβεῖν αἰτίαν ἐξ ἀνδρὸς ὑπάτου.* conf. Lucian. Eunuch. §. 7. Tom. V., p. 209. et eiusd. Demon. §. 12.

molesta fuit, quem gloriolae suae obtrectatorem duceret [1]). Sed ille tam prudenter Imperatoris aemulationem tractavit, ut ea citra saevum aliquod consilium substiterit. Honoravit tamen et promovit Favorini adversarios et rivales, nec concessit ei istam immunitatem, quae artium liberalium doctoribus et hominibus litteratis ab Imperatoribus tribui solita erat [2]).

Athenienses tamen, quos plurima beneficia Hadriano accepta rettulisse constat, saevius quam ipse Imperator in eum animadvertere [3]). Eiusdem enim, quem ingenti plausu audire consuevissent, statuam subvertere, praecipuo civitatis procerum studio. Quam populi degeneris levitatem aequo animo tulit philosophus. Egregie enim, inquit, actum esset cum Socrate, si eum statua privare, quam cicutam ei apponere maluissent Athenienses. Haec attuli eo fine, ut cum orationis Corinthiacae loco compararem, p. 119. v. 14. *ὑμεῖς δ' ἀκολουθήσαντες ἀνθρώποις· οὐδὲν δὲ αὐτοὺς ἐρῶ ὡς ἀμυνόμενος· πλὴν ὅτι δικαιότερον ἦν ἐκείνους ὑμῖν ἀκολουθεῖν, ἢ ὑμᾶς ἐκείνοις. ὑμεῖς γάρ ἐστε νῦν, τὸ δὴ λεγόμενον, πρῶρα καὶ πρύμνα τῆς Ἑλλάδος* cett. [4]). In quibus si „homines illos"

1) Spartian. Hadr. c. 15. „Favorinus, cum verbum eius quoddam ab Hadriano reprehensum esset, atque ille cessisset; arguentibus amicis, quod male cessisset de verbo, quod idonei auctores usurpassent, risum iucundissimum movit: Non recte suadetis familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet XXX. legiones."

2) Conf. Philostr. l. l. et Xiphil. Adrian. p. 257. B. Steph. In hac etiam caussa haud inscite Hadriani acerbitatem elusit. Arelatenses domesticum sacerdotium ei imposuerant. Illud munus ut amoliretur, ad immunitatem lege sibi debitam confugit. Res venit ad iudicium, cui ipse praefuturus erat Imperator. At Favorinus, cui animum illius sibi infensum nosset, ne cum contumelia caussa caderet, sponte sacerdotium recepit. Nam Dionem, aiebat, magistrum suum, secundum quietem sibi adstitisse, monentem, ne munus in patria urbe suscipere detrectaret.

3) Obiter moneo, Philostrati verba *Ἀθηναίοις δὲ δεινὰ ἐφαίνετο* vitiata esse ab Oleario, qui de sua coniectura *δεινὸς* scripsit.

4) Apud Philostrat. est „*χαλκῆν εἰκόνα κατέβαλον τοῦ ἀνδρὸς ὡς πολεμιωτάτου τῷ αὐτοκράτορι.*" Quae verba non obstant, quin alias caussas facinori suo obtenderint Athenienses, quo vilis assentatio minus manifesta esset. Easdem Corinthii amplecti potuerunt, ut sine suo dedecore Atheniensium exemplum imitarentur. Sin alios circumspicis, multi fuere eius rivales et adversarii. Sicut ei graves inimicitiae cum celeberrimo sophista, Antonio Polemone, Laodicensi vel Smyrnaeo, intercesserunt. Libellum

Athenienses esse existimabimus, Corinthiorum civitas aptius certe universae civitati componetur, quam singulis oratoris obtrectatoribus. Adde, quod aliis quoque Corinthiacae locis non sine cavillatione Atheniensium mentio fit (conf. p. 122, 30.).

Superest, ut de Favorini dictione et actione dicamus. Dicendi genus, quod amplexus est Favorinus, quamvis Dionem audivisset, tamen plurimum a Dioneo dissidebat [1]).

Observantissimus fuit Attici sermonis [2]); idem de se praedicat auctor Corinthiacae, et ipsa id oratio confirmat. Eruditionis importuna ostentatio, quam a Dionis more abhorrere diximus, haud indecora est Favorino, qui *παντοδαπῆς ἱστορίας* aut VIII. aut plures libros ediderit [3]), et cuius rerum cognitionem Gellius saepe admiratus sit.

Dictio eius et actio paene muliebris erat, et eunuchum referebat; numeri orationis fracti et cantui propiores [4]). Et haec quidem hactenus.

At vero, qui evenit, ut Dionis operibus, quae sero ab

---

vero in Proxenum scriptum propter nimiam conviciandi petulantiam a Favorino abiudicavit Philostratus.

1) Phil. in v. Fav. *Δίωνος μὲν οὖν ἀκοῦσαι λέγεται, τοσοῦτον δ' ἀφέστηκεν, ὅσον οἱ μὴ ἀκούσαντες.*

2) Galen. de opt. d. g. II. p. 17. *Φαβωρῖνος — ἐς τὴν Ἀττικὴν φωνὴν εἰωθὼς μεταλαμβάνειν ἕκαστα τῶν ὀνομάτων.* Eodem facit, quod quaestionibus grammaticis saepe vacavit et de vocabuli probitate cum Hadriano altercatus est.

3) Diog. Laert. III., 24. et VIII., 47.

4) Lucian. Demon. §. 12. *ἐπεὶ γὰρ ὁ Φαβωρῖνος ἀκούσας τινός, ὡς ἐν γέλωτι ποιοῖτο τὰς ὁμιλίας αὐτοῦ, καὶ μάλιστα τῶν ἐν αὐταῖς μελῶν τὸ ἐπικεκλασμένον σφόδρα, ὡς ἀγεννὲς καὶ γυναικεῖον* cett. — Phil. v. Fav. *ἥρμοστο τὴν γλῶτταν ἀνειμένως μέν, σοφῶς δὲ καὶ ποτίμως.* (sic Codd. Guelph. et Paris. a Fr. Iacobsio collati; conf. Iahnii Annal. a. 1832. Tom. I., Fasc. 2, p. 309. Vulgatur *προθύμως.*) *ἐλέγετο δὲ καὶ σὺν εὐροίᾳ σχεδιάζειν.* Vox eius et actio etiam eos delectabat, qui verba non intelligerent; *κἀκείνους ἔθελγε τῇ ἠχοῖ τοῦ φθέγματος καὶ τῷ σημαίνοντι τοῦ βλέμματος καὶ τῷ ῥυθμῷ τῆς γλώττης. ἔθελγε δὲ αὐτοὺς καὶ τὸ ἐπὶ πᾶσι* (sic Codd. G. et P. apud Iacobsium; vulgo *τῇ ἐπιτάσει*) *τοῦ λόγου, ὃ ἐκεῖνοι μὲν ᾠδὴν ἐκάλουν, ἐγὼ δὲ φιλοτιμίαν, ἐπειδὴ τοῖς ἀποδεδειγμένοις ἐφυμνεῖται.* Perorationem intellige iusto modulatiorem). — Conf. eundem Phil. p. 541. *Τιμοκράτους* (philosophi) *εἰπόντος, ὡς λάλον χρῆμα ὁ Φαβωρῖνος, ἀστειότατα ὁ Πολέμων, καὶ πᾶσα, ἔφη, γραῦς· τὸ εὐνουχῶδες αὐτοῦ διασκώπτων.*

homine non admodum perspicaci in unum corpus congesta sunt [1]), Corinthiaca insereretur? Non eo confugiam, ut etiam alias quasdam commentationes Dionis nomine falso inscriptas dicam. Ne id quidem urgeo, quod Favorinum Dionis auditorem fuisse constat; sed nisi me omnia fallunt, aut una aut praecipua inserendi caussa similitudo argumenti fuit, quae Corinthiacae cum Rhodiaca intercedit, celebratissima Dionis oratione. Non alia ratione tot nobis ut Dioneae venditantur de Fortuna declamationes.

Reliquum est, ut aliquot difficiles luxatosve Corinthiacae locos aut explicemus aut emendemus, omissis tamen, si quae in opusculo Dioneo etiamnum recte nobis disputata videntur.

Quae p. 102. Reisk. de Arione leguntur, ab Herod. I, 24. sumpta esse apparet. In qua narratione olim his verbis offendebar: *καὶ τὸ μέλος ἥσθοντο δελφῖνες, αἰσθανόμενοι δὲ περὶ ναῦν ἦσαν*, quod articulum ante v. *ναῦν* desiderabam. Sed eo non opus esse, nunc mihi persuadeo. Praepositiones enim cum multis nominibus, expulso articulo, in modum adverbii coalescunt, in iis maxime dictionibus, quae quotidiano usu frequentantur. Rei haud ignotae exemplum unum afferam in quo ipsum v. *ναῦς* compareat; Plutarch. Agesil. c. 36. *ἐπεὶ δὲ κατέπλευσεν εἰς τὴν Αἴγυπτον, εὐθὺς οἱ πρῶτοι τῶν βασιλικῶν ἡγεμόνων καὶ διοικητῶν ἐβάδιζον ἐπὶ ναῦν.*

p. 103, 1. Oraculum Cypselo editum legitur apud Herodot. V. 92. Sed ibi est, *ὃς ἐμὸν δόμον εἰσκαταβαίνει*. Corinthiacae scripturam *εἰσαφικάνει* merito praetulit Valckenarius.

p. 104, 35. *ἡμᾶς δὲ δὶς ἐπιδημήσαντας οὕτως ἀσμένως ἐπειδή γε, ὡς ἂν μάλιστά με ἐπειρᾶσθε κατέχειν, ὁρῶντες δὲ ἀδύνατον ὄν, ἀλλὰ τὴν εἰκὼ τοῦ σώματος ἐποιήσασθε, καὶ ταύτην φέροντες ἀνεθήκατε ἐς τὰ βιβλία ὡς προεδρίαν.* — Egregie Reiskius pro *ἐπειδή γε* rescribendum esse iudicavit *ἐπείδετε*. Superest, ut e verbis *ὡς ἂν μάλιστά με* tollatur corruptela, quae hunc in modum redintegranda sunt: *ὥστε μάλιστα μὲν.* —. Denique cum Seldeno *ἀλλά γε τὴν* — reponenti prorsus consentio.

Venio ad alium locum, in quo dicta in opusculo meo ex

---

1) Multa intercidere temporum iniuria.

parte retractem necesse est; p. 106, 32. *αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι λήξεις τε καὶ κτήσεις τῶν θεῶν κατὰ μόνας εἰσίν· Ἄργος μὲν Ἥρας, Ἀθηνᾶς δὲ Ἀθῆναι· καὶ αὐτῶν γε τούτων τῶν θεῶν, Ῥόδος μὲν Ἡλίου, Ὀγχηστὸς δὲ Ποσειδῶνος· Κόρινθος δὲ ἑκατέρων· εἰκάσαις ἄν, αἰνιττομένου τοῦ μύθου τὸ τῆς γῆς ἐν μέσῳ δύο πελαγῶν ὑπὸ τοῦ Ἡλίου ἐξαίρετον, βουλομένου τοῦ Ποσειδῶνος. τὸ μὲν οὖν τοῦ μύθου τε καὶ λόγου τῇδέ πῃ συνᾴδονται. τρίτην ἐπὶ τρισσαῖς* cett. — Quae de summa huius loci sententia olim disputavi, ea etiamnum teneo et agnosco. Dixi autem, certamen Neptuni et Solis de Corintho, quod est in fabulis, ad bimarem Corinthi situm ab oratore revocari. Hanc vero illius fabulae interpretationem et per se esse probabilem, et vestigia eius in turbata verborum scriptura exstare. Nec dissimilem fabulae Rhodiacae commentationem Diodorus affert L. V. c. 56. At leniore, quam olim mihi visum est, medela sententia, quae desideratur, huic loco restitui potest. Scribendum censeo: — — *Κόρινθος δὲ ἑκατέρων· εἰκάσαις ἄν, αἰνιττομένου τοῦ μύθου τὸ τῆς γῆς ἐν μέσῳ δύο πελαγῶν ὑπὸ τοῦ Ἡλίου οὐκ ἐξαίρετον βουλομένου τοῦ Ποσειδῶνος.* In quo nihil mutatum est, nisi quod ante v. *ἐξαίρετον* negationem *οὐκ*, quae quam facile excidere potuerit non latet, inseruimus. „At Corinthus, inquit, utriusque est; significante, ut coniicias, fabula medium terrae inter duo maria situm per Solem, privam eam Neptuni esse nolentem." — *αἰνίττομαί τι ὑπό τινος* minus sane, quam *διά τινος*, usitatum est; nec mihi nunc illius constructionis exemplum in promptu est. Recte vero sic dici; immo significantius *ὑπὸ* esse, quam *διὰ*, quoniam in fabula verus sensus quasi absconditus sub persona Solis et Neptuni latet, facile mihi concedetur. Porro ne cui durior ista locutio *τὸ τῆς γῆς ἐν μέσῳ δύο πελαγῶν* (bimaris terrae situs) aliquid negoti incutiat, conf. Dion. I. p. 670, 6. *τοῦ τε ποταμοῦ τὸ ἴδιον καὶ παρὰ τοὺς ἄλλους ἅπαντας.* Qualia referenda sunt ad liberiorem illum articuli usum, quem sunt qui materialem appellent. De v. *βούλεσθαι* conf. Ath. 15, c. 17. — De re conf. Paus. II, 1, 6. Bekk. *λέγουσι δὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι, Ποσειδῶνα ἐλθεῖν Ἡλίῳ περὶ τῆς γῆς ἐς ἀμφισβήτησιν, Βριάρεων δὲ διαλλακτὴν γενέσθαι σφίσιν, Ἰσθμὸν μὲν καὶ ὅσα ταύτῃ δικάσαντα εἶναι Ποσειδῶνος, τὴν δὲ ἄκραν Ἡλίῳ*

δόντα τὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως. Hinc si colligi posset, Solem priorem in possessione fuisse, et litem ei Neptunum intendisse, ita potius conformandus erat Corinthiacae locus: *ὑπὸ τοῦ οὐχ Ἡλίου ἐξαίρετον βουλομένου Ποσειδῶνος* „per Neptunum Solis privam eam esse nolentem"; interposita ante v. *Ἡλίου* negatione et abiecto ante v. *Ποσειδῶνος* articulo. Quae et ipsa perfacilis est mutatio et orationem haud paullo facit rotundiorem. At istud neque e Pausaniae verbis efficitur, et rei ipsi consentaneum est, primam terrae possessionem Neptuno a fabula delatam esse. Apud Eumelum certe Solis filius, Aloeus, Ephyrae demum, Oceani filiae, in Corinthi regno suceedit (Paus. II, 1, 1. Bekk.).

Continuatur luxato loco alius vel peius corruptus: *τὸ μὲν οὖν τοῦ μύθου τε καὶ λόγου τῇδέ πῃ συνάδονται. τρίτην ἐπὶ τρισσαῖς χάρισι τὴν θεσπιῳδὸν Σίβυλλαν παρακαλεῖ, τιμῇ δέ οἱ θεοῦ φωνὴν λαχοῦσα, ᾄδει μάλα μέγα·* — Verbum *συνάδονται* in vitio esse, manifestum est. Reiskius igitur *συνᾷδον φαίνεται* reponebat. Sed quoniam verbi *φαίνεται* asseveratio cum v. *τῇδέ πῃ* modestia non bene coit: alteram periodum v. *συνᾷδον* terminatam fuisse coniicio; alteram a voce *καὶ*, quae antecedenti vocabulo perperam adhaeserit, incepisse. — V. *ἐπὶ τρισσαῖς χάρισι* haud dubie significant „ad ineundam triplicem gratiam." Geminus est locus quidam Epistol. Platon. a Stephano in Thesaur. allatus „*βασιλέα στήσασθε, πρῶτον μὲν τὸν ἐμὸν υἱὸν, χαρίτων ἕνεκα διττῶν, τῆς τε παρ' ἐμοῦ καὶ τῆς παρὰ τοῦ ἐμοῦ πατρός.*" Triplicem vero gratiam dicit, quod post Neptunum Solemque tertio Sibyllae testimonio usurus est. — At quis tandem Sibyllam advocat? Aliusne, quam ipse orator? Quin igitur *παρακαλῶ* scribimus? — Restant v. *τιμῇ δέ οἱ θεοῦ*, vitiosa et ipsa. Hieronymus Zenarus, qui Dionis Opp. in Latinum sermonem translata Venetiis edidit a. 1585., quemque in opusculo meo Dioneo Interpretem Venetum plerumque adpellavi, ita haec verba Latina fecit: „Fatidica Sibylla, quae dei vocem honoris gratia sortita est." Sed neque *τιμῇ* est honoris gratia, neque Sibylla recte dicetur dei vocem nacta; denique v. *οἵ* oportebat abesse. Certam loci emendationem non ausim promittere; probabilem praesto. Fortasse sic scripsit, quicunque orationis auctor est: *ἐτύμην δὲ ἡ θεοῦ φωνὴν λαχοῦσα* „veracem dei

filia vocem sortita" [1]). — Sequitur ut ipsa Sibyllae verba exploremus, quae hunc in modum scripta sunt:

ὦ δαῖμον, τί τοι ὧδε; ὃς ὄλβιος αὐχὴν
Ὠκεανοῦ κούρης Ἐφυραίης, ἔνθα Ποσειδῶν,
μητρὸς ἐμῆς Λαμίας γενέτωρ, προὔθηκεν ἀγῶνα
πρῶτος ἅμ' Ἠελίῳ, τιμὰς δ' ἠνέγκατο μοῦνος.

Pausan. L. X. 12, 1 seqq. duas distinguit Herophilas, quarum utrique Sibyllae cognomen fuerit; alteram vetustiorem, quam Iuppiter e Lamia, Neptuni filia, suscepisse ferebatur, alteram Marpesso oriundam, iuniorem illam quidem, sed quae tamen ante bellum Troianum floruerit. Eandem Erythraei sibi vindicabant; conf. praeter Paus. Plut. de Pythiae Orac. c. 14; plura vide apud Fabric. B. G. T. I. p. 167 seqq. De qua Sibyllarum diversitate neque conveniebat inter omnes, neque semper cogitabant, qui vel post rerum eventus, vel de futuris coniectantes Sibyllina oracula fingebant. Talia autem vaticinia innumera ferebantur, pleraque numeris heroicis inclusa [2]). Inter haec fuere etiam carmina longiora. Eiusmodi carminis fragmentum versus esse, quos Corinthiacae auctor attulit, tametsi initio corrupti sint, satis patere existimo. Nimirum delegit ea tantum, quae ad Corinthi laudes pertinerent. Ne quis igitur primum versum emendaturus, integrum hexametrum desideret, qui nisi quis liberius coniectura grassetur, restitui non poterit. Ne illud quidem a veri specie abhorret, orationem in isto versu, omissa aliqua particula, aut verbis transpositis, sic conformatam esse, ut commodum erat dicenti. Quae qui mihi concesserit, huic opinor emendationi calculum adiiciet:

εὔδαιμον τί τοι ὧδ', ὡς ὄλβιος αὐχὴν —

„Quid est tam fortunatum, quam felix virginis Erythraeae, Oceani filiae, iugum." Virgo Ephyraea ipsa est Ephyra, Oceani filia, quae Isthmum Corinthiacum prima tenuisse dicebatur. In quo Eumeli Corinthii, Cyclici poëtae, auctoritatem secuta est Sibylla; conf. Paus. II, 1, 1. Est autem *εὐδαίμων* Ephyrae seu Corinthi solennis et quasi sacra appellatio; conf. He-

1) Ceterum aliquem poëtae locum oratoris animo obversari, non temere suspicatur Casaubonus. — Pro *ἡ θεοῦ* possit etiam *ἐκ θεοῦ* „divinitus" scribi, et *τιμὴν* pro *τιμῇ*.

2) Octavianum 2000 talium librorum cremasse, testis est Sueton. August. c. 31.

rod. III, 52. *Κορίνθου τῆς εὐδαίμονος;* et oraculum apud Strabon. L. VIII. p. 584. Steph. *εὐδαίμων ὁ Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης.* Nec opus est pluribus in re satis nota.

p. 107, 26. Quod Argo navem, quam alii inter astra collocatam ferebant, Neptuno consecratam dicit: conf. Diod. IV, 35. et Apollod. I, 9, 27. ibique Heynii adnot.

p. 108, 40. *καὶ τοῦτο ἐπείσθη τις κατὰ Κορινθίων; ὧν οἱ πρόγονοι διὰ πάντων Ἑλλήνων μάλιστα δὴ δικαιοσύνην ἐπήσκησαν.* Sententia est: „Ecquis autem hoc crederet de Conrinthiis," ut vere Reisk. Sed addenda erat particula *ἂν* inter *τίς* et *κατά*. — Illam Corinthiorum laudem his documentis comprobat [1]): *ἡ* (scr. *ἦ*) *γὰρ οὐχ οὗτοί εἰσιν, οἱ τὰς τυραννίδας ἐν ταῖς πόλεσιν καταλύοντες, καὶ τὰς δημοκρατίας καθιστάντες, καὶ τὰς Ἀθήνας ἀπὸ τυράννων ἐλευθερώσαντες· πρότερον μὲν ἀπὸ Ἱππίου, ὕστερον δὲ ἀπὸ Κλεομένους; καὶ μετὰ ταῦτα, ὡς αὐτοὶ πρᾶγμα ποιεῖν ἐπεχείρουν Ἱππίου καὶ Ἰσαγόρου, καὶ τυραννίδα τῆς Ἑλλάδος καθίστασθαι* seqq. Reprehendit haec ut *ἀνιστόρητα* Casaubonus, adeoque mendosum esse locum suspicatur, qui cum Herodoti narratione conciliari nequeat. Et sane falsi aliquid continet, at leve illud, nec quod incusat Casaubonus.

Corinthii bis Atheniensium libertati praesidio fuere, primum, cum Pisistratidis eiectis Cleomenes, Spartae rex, collecto in tota Peloponneso exercitu, Athenienses ultum iret, simul Isagoram, hospitem suum, armis reducturus (conf. Herod. V. 75); iterum vero, cum Spartani rei publ. Atheniensium subito incremento exterriti, Hippiae reditum pararent (conf. Herod. V, 91 [2]). His enim temporibus Corinthios Spartanorum consiliis se opposuisse et servitutis periculo Athenienses liberasse, ex eodem Herodoto cognoscimus. Nihil igitur in historiam peccavit scriptor Corinthiacae, nisi quod in or-

1) Colonorum Corinthi Romanorum nequitiam castigat Crinagoras poëta Epigr. 20. in Anal. Brunck. Tom. II, p. 145; conf. Iacobs. Comment. Tom. III, p. 395.

2) Manifestum est, Corinthiacae auctorem de Sosiclis Corinthii oratione in Hippiam habita cogitasse. Nam eiecti sunt Pisistratidae a solis Lacedaemoniis (Herod. V. 63 seqq.); nec ullas in ea re Corinthiorum partes fuisse, satis constat.

dine rerum gestarum parum curiosus fuit. Nam Hippiae reducendi conatus tempore posterior est.

Quod autem infra v. 15. *καὶ Λακεδαιμονίοις*, inquit, *ὑπὲρ τῶν κοινῶν δικαίων τῆς Ἑλλάδος μετὰ τῆς Θηβαίων καὶ Ἠλείων πόλεως ἀντέβησαν*: id referri videtur ad ea, quae gesta sunt a. 422. a. Ch., belli Peloponnesiaci temporibus. Cum enim Spartani et Athenienses pacem fecissent, Corinthii, Boeoti (Thebani), Elei et Megarenses, Lacedaemoniis irati, hucusque sociis suis, pacis formulae se adscribi noluerunt. (Thuc. V, 17). — Sed haud scio, an alii de bello malint cogitare, quod a. 401. a. Ch. Lacedaemonii cum Eleis gessere. Huius enim belli societatem, invitantibus Spartanis, repudiarunt Corinthii et Thebani. (Diod. XIV, 17. et Xenoph. H. G. III, 2, 25.).

p. 190, 30. Simonidis versus, tumulo Corinthiorum in Salamine sepultorum inscripti, leguntur Anthol. Brunck. Tom. I, p. 133. (conf. Iacobs. Comm. I, p. 224.). Neque hoc attingam, neque alterum Simonidis in Adimantum epigramma, quoniam mihi non ad manum est Gaisfordi liber, qui Simonidis fragmenta novissime edidit.

In celebranda Corinthiorum gloria non tacitus transit Timoleo, nec eiectus ab eo Dionysius tyrannus. De quo p. 110, 3. haec leguntur: *ἦν δ' ἰδεῖν Διονύσιον μὲν ἐν Κορίνθῳ* [1]) *θέαμα κάλλιστον, οὐδενὸς κύριον· ἀλλ' ὅμως οὐδὲ τούτων οὐδεὶς ἠδίκει, οὐδὲ ἐξέβαλεν, οὐδὲ ἐξήλαυνε τῶν ἐκ Σικελίας.* Haec est Morelliana verborum scriptura [2]); *οὐδὲ τοῦτον* est in Veneta. Quod Casaubonus in *τοῦτον* mutavit; vere opinor. Vel sic tamen superest, quo offendare. Quam difficultatem Reiskius perspexit, qui alioquin ab auctoris mente longe aberravit. Vidit ille, quoniam *ἐξέβαλεν* (v. *ἐξέβαλλεν*) et *ἐξήλαυνε* idem significant, alterumutrum delendum esse. Quod ita lubens accipio, ut *οὐδέ* retineam. Scribendum igitur — — *οὐδὲ ἐξέβαλλε οὐδὲ τῶν ἐκ Σικελίας.* Ita demum intelligitur, quomodo nasci potuerit loci corruptela. Librarius mediocriter attentus cum huius *οὐδέ* eandem rationem, quam superioris

---

1) *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ* instar est proverbii, quo Fortunae inconstantia notatur.

2) In Mor. scriptura v. *τούτων* ad v. *τῶν ἐκ Σικελίας* trahendum est: „horum, qui e Sicilia erant." Sed neque *τούτων* placet, neque accusativi omissio.

esse opinaretur, ideoque hiare sententiam sibi persuaderet: non admodum fastidiosus, quod primum se offerebat, eiusdem significationis verbum supplevit. Nam quae frequens est interpolationum origo, ut altera scriptura pro interpretamento alteri adscripta sit, id in hunc locum non cadit. Quid enim aut v. *ἐξελαύνειν* aut *ἐκβάλλειν* obscuritatis habet? Aut utrum alterius interpretamentum esse existimabimus [1])? — At vero sententiam istud *οὐδέ* postulare, non difficile est ostensu. Nam eo omisso hoc diceret: „Ne hunc quidem quisquam eorum, qui Siciliam incolebant, iniuria afficiebat aut expellebat"; quasi nullus alius vexando tyranno animum explere potuisset. Sane Siciliotae prae ceteris habebant, quod eum ulciscerentur; verum ineptum erat, reliquos omnes oratione excludere, ipsos praesertim Corinthios, quorum in manibus erat, ex quo in urbem eorum se receperat, Dionysius, et quorum humanitatem hic laudare, vel maxime ad rem pertinebat. Contra addito, sive potius non deleto, v. *οὐδέ*, haec existit sententia: „At ne hunc quidem quisquam vexabat aut expellebat; ne eorum quidem, qui e Sicilia erant (nedum ut ipsi Corinthii) [2]).

Pergit: *τὸ δ' ἀνάθημα τῆς πόλεως τίς ἀνέτρεψεν; εἰ μὲν οὖν στρέβιλος ἢ πρηστὴρ ἢ σκηπτὸς ἐμπεσὼν, σείων καὶ κεραυνὸν ἰθύνων· εἰ δ' ἔστι τις κρίσις ἀνδριάντος, οἵαν φασὶν ἐν Συρακούσαις γενέσθαι* cett. Apodosis v. *εἰ μὲν οὖν* — cum nulla compareret, Reiskius *εὖ ἔχει* vel simile quid excidisse iudicavit. At quoniam in tali sententiae conformatione haud infrequens est aposiopesis figura, non omnino opus est Reiskiano supplemento. — Idem ad v. *σείων καὶ κεραυνὸν ἰθύνων* offendit, corrigebatque *θεῖον καὶ κεραυνὸν ἰθύνων* „fulmen illapsum sulphur et mucronem (i. e. mucronem sulphureum) adigens." Fulminis vero istum mucronem in hunc modum defendit R.: „*κεραυνὸς*, inquit, est fulminis cuspis, qua res ictas *κείρει*, demetit quasi et detondet." Quae non scripsisset vir egregius, si ad nostra eum tempora fata reser-

1) Sane Hesychius: „*ἐξελάσωμεν. ἐκβάλωμεν.*" Nimirum aoristi formam insolentiorem, non verbum *ἐξελαύνειν* explicare volebat; qualia apud eum plurima reperiuntur glossemata.

2) Si quis tautologiam, quae est in v. *ἐξέβαλλεν* et *ἐξήλαυνε* haud aegre tulerit, huic commendo pro *τῶν ἐκ Σικελίας* — *πλὴν ἐκ Σικελίας*; eidem suadeo, ut aorist. *ἐξέβαλε* retineat.

vassent. — Vulgata scriptura, sane incommoda, intelligi tamen potest, neque mutanda est, donec libri M. S. corruptelae certa indicia praebuerint. Nam *σκηπτός* non solum fulmen significat, sed etiam tempestatem subito irruentem; ea potest cum terrae motu coniuncta esse (*σείων*), et fulmen dirigere. Tumor vero orationis poëtae alicuius, ut visum est Casaubono et Reiskio, imitationem rettulerit; denique etiam aposiopesis, de qua supra dictum est, per me licet devoretur [1]).

p. 111, 27. *εἰ δὲ γένοιτο καὶ παρ᾽ ὑμῖν ψήφισμά τι τοιοῦτον, ἀνδριάντων εὐθύνας εἶναι· μᾶλλον δ᾽, εἰ θέλετε, καθάπερ ἐψηφισμένον καὶ τοῦτον, καὶ ἀγῶνος ἐνεστηκότος, δότε* cett. — *τοῦτο*, non *τοῦτον*, legitur in Veneta. Scribendum igitur *ἐψηφισμένοι ἤδη* (vel *καὶ δὴ*) *τοῦτο*. — Quae sequuntur usque ad pag. 114., sic tractata sunt a Casaubono et Reiskio, ut in eorum iudicio prorsus acquiescam. Sed istic leve scripturae vitium intactum reliquere: *ἐστάθην μὲν οὖν διὰ τοιαύτας τινας προφάσεις, ἵνα μὴ πλείους λέγων δοκῶ προσάγειν ἐμαυτὸν εἰς ἀπέχθειαν:* haud dubie scribendum est *προάγειν*; sicut apud Demosth. p. 621. Reisk. *προάγειν ἐμαυτὸν εἰς ἀπέχθειαν*. Plura reperientur in Reisk. Indic. Graec. in Dem.

p. 115, 15. *Γοργίαν λέγω· ὅπου γε καὶ Φρύνην τὴν Θεσπιακὴν ἔστιν ἰδεῖν ἐπὶ εἰκόνος, κἀκείνῳ ὡς Γοργίαν.* Marginis Morellianae scripturam *κἀκείνην*, dubium, an sumtam e libris M. S., amplexus est Reiskius; idem v. *ἐπὶ εἰκόνος* mutavit in *ἐπιεικῶς*, ut haec sententia existeret: Propemodum eadem magnitudine formaque et ipsam, qua dedicatus est Gorgias. Cur *ἐπὶ εἰκόνος* damnaverit, tacuit Reiskius; *ὁρᾶν τινα ἐπὶ εἰκόνος* „videre aliquem in imagine i. e. alicuius imaginem videre", etsi exempla iam non reperiam, Graece tamen dici existimo [2]). Sane non opus erat hoc additamento,

1) Noluimus in orationis continuitatem coniecturas nostras inferre, ne harum osoribus nimium displiceremus. Quibus suademus, ut aut Dionem ne adtingant, aut libros M. S. meliores proferant. Iste locus haud male sic refingatur: *σείων καὶ κεραυνῶν* (a. v. *κεραυνόω*), *ἀνεύθυνον*.; ut verbum *ἀνεύθυνον* apodosin faciat; vel sic: *θεῖον καὶ πέραν εὐθυνῶν* — „hoc divinum est et cuius ratio a nemine reposcatur (citra reddendas rationes)."

2) Frequentatur *ὁρᾶν τι ἐπί τινος* hac vi: aliquo exemplo rem cognocere.

quoniam neminem latere poterat, statuam Phrynae, non ipsam dici; at languet etiam Reiskianum illud *ἐπιεικῶς* [1]. — Verum enim vero, quoniam hoc certe non ambiguum est, Phrynae et Gorgiae statuas inter se comparari, quid utriusque commune fuerit, quaeramus. Gorgiae statua ab ipso Corinthiacae auctore supra v. 14. his verbis descripta est: *Γοργίαν τὸν σοφιστὴν ἐν Δελφοῖς ἑστάναι, καὶ ταῦτα μετέωρον καὶ χρυσοῦν.* Erat igitur statua sublimis et inaurata (*ἐπίχρυσος*; conf. Pausan. X, 19, 1.) Atqui talem etiam Phrynae statuam fuisse, consequitur e Plut. de Pyth. orac. c. 14. *ἐκεῖ βλέψον ἄνω καὶ τὴν χρυσῆν ἐν τοῖς στρατηγοῖς καὶ βασιλεῦσι θέασαι Μνησαρέτην* (Phrynen). Inauratam etiam Pausan. dicit X, 15, 1.

De proximis verbis *ἀλλὰ τὸ μὲν* cett. in opusculo meo disputavi, nec aliter nunc, quam olim sentio.

p. 116, 36. *εἰ τοίνυν οὐδὲ αἰσχρὸν τοῦτό ἐστιν, καίπερ ὂν δεινόν· ὡς κομιδῇ τετυφωμένης πολιτείας ἀνδριάντες ἐπέτειοι, ὥσπερ οἱ καρποί.* Quae loci scriptura cum Reiskio displicuisset, hanc correctionem commendabat: *εἰ τοίνυν οὐδὲ αἰσχρὸν οὐδὲ δεινὸν τοῦτό ἐστιν· καίπερ ὂν δεινόν· πῶς οὐ* — „sed fac tandem, morem hunc neque turpem esse neque indignum, qui utique est: at qui tandem fiat —." Ex his *πῶς*

1) Haud male legeretur *ἐπίφθονον κἀκείνην* vel simile quid. Sed teneo vulgatam. Obiter corrupti loci Theocritei emendationem profero, quae certe aliquanto melior est, quam interpretationes eorum, qui veterum librorum auctoritatis iusto observantiores fuere. Idyll. XIII. v. 15. legitur: *ὡς αὐτῷ κατὰ θυμὸν ὁ παῖς πεπονημένος εἴη*
αὐτῷ δ' εὖ ἕλκων ἐς ἀλαθινὸν ἄνδρ' ἀποβαίη.

Scholiastam non *αὐτῷ*, sed *αὐτῶ* (*αὐτοῦ*) legisse, hinc apparet, quod *αὐτόθι* interpretatus est. Quo propius ad genuinam scripturam adducimur. Scripsisse enim sic puto Theocritum:

αὐτῶ δ' εὖ εἰκὼν ἐς ἀ. ἀ. ἀ.

„sui ipsius (paternae virtutis, Herculis) imago, verus vir evaderet." — Ne quis offendat ad vocalem ante *εὖ* elisam, conf. Wuestem. praefat. in Theocr. p. XL. seqq. et eius censorem in Ephem. Ien. Decembr. Suppl. 1830. Non igitur necesse est, *αὐτῶ εὖ δ' εἰκὼν* reponatur; quamquam ne hoc quidem nimiae est audaciae. Alium vero alius imaginem dici, ut Vet. Test. scriptoribus homo dei simulacrum est, non admodum usitatum est Graecis poëtis. Pedestris sermonis exemplum vid. apud Dion. Halic. p. 239, 8. *εἰ δ' εἰκόνα τις ὁρῶν ἄψυχον ἑαυτοῦ ἥδεται, ὅταν καὶ μὴ ἄψυχον ἀλλ' ἔμψυχον, μηδὲ μίαν, ἀλλὰ πολλάς, ἂν οὕτω τύχῃ· πόσῳ μᾶλλον ἥδεσθαι δεῖ;*

οὐ, ut temere mutatum, abiiciendum est; nam *ὡς*, quod hic exclamantis est, eandem vim habet. De altera mutatione, cuius summa interpositum v. *δεινόν* est, Reiskius non nullis fortasse persuasisset, si sic maluisset scribere: *εἰ τοίνυν οὐ* (v. *οὐδὲν*) *δεινὸν οὐδὲ αἰσχρόν*. — Sed ego v. *δεινόν* minime desidero. Vis enim v. *δεινός* tam late patet, ut turpitudinem quoque comprehendat; et consulto orator ab acerbiore verbo ad lenius se revocasse videtur.

Eiusdem pag. v. 45. v. *εἰ μὲν ὕστερον γεγόνασι, οὐκ ἀφίησι τὴν πόλιν τῆς αἰτίας* — non requirere interpositum *τοῦτο* (*οὐκ ἀφίησι τοῦτο τὴν* —), quod desiderabat Reiskius; porro p. 117. 5. in v. *ποτέρως ἂν οἴεσθε μᾶλλον εὐδοκιμήσειν, καὶ ποτέρως ἂν τοὺς εὖ βουλευομένους ὑμᾶς ποιεῖν προκαλέσασθαι*; scribendum esse *εὐδοκιμῆσαι* et *βουλησομένους*, verbo monuisse satis est.

p. 117, 21. *διαβάλλοντες* videtur, non *διαβαλόντες*, scripsisse, quisquis scripsit Corinthiacam, ut ne praesentis aetatis obtrectatores oratione excluderet.

Ibid. v. 27. *ἅπτονται δὲ καὶ τῶν θηλειῶν θεῶν, ὧν εἰκὸς ἦν ἔτι μᾶλλον ἢ τῶν ἀῤῥένων ἐντρέπεσθαι. νῦν ἀκούετε γάρ, ἃ λέγουσι τὴν Δήμητρα καὶ τὴν Ἀφροδίτην καὶ τὴν Ἕω* (sic Venet. R. *Ἑώ*). — *νῦν* istud, quod ante *ἀκούετε* legitur, ineptum est. Quid reponendum sit haud affirmaverim. Arridet *νὴ Δί'*, quod litteris maiusculis scriptum non longe a vulgata scriptura distat. Alius haud scio an *τινά* praetulerit, ad antecedentem periodum relatum. Ad vocem *Ἕω* haec a Reiskio leguntur adnotata: „Nomen hoc suspectum, in nominibus deorum vix auditum." Unde si quis colligat, notissimos Aurorae et Tithoni amores ignoratos fuisse a Reiskio, nae ille aut inconsulte aut maligne viri verba interpretetur. Offendit R. ad formam nominis Atticam: haud iniuria; nam epicam formam etiam pedestris sermonis scriptores deae Aurorae reliquere. Sed Corinthiacae auctorem sinamus atticisset.

p. 118, 37. Quod R. ad v. *ἔλαβεν* — *ὁ ἐμὸς ἀνδριάς* pro subiecto supplevit: humanitus quid viro optimo accidit. Nam *ψόγος* orationis subiectum est. De reliquis dictum est in opusculo meo.

v. 120, 24. Seldeni verissima coniectura, *ὅτε* pro *ὅτι* scribentis, a lacunae suspicione Reiskium deterrere debebat.

Ibid. v. 33. ἀλλ' οὐκ ᾔδειν cett. Hanc oportet horum v. sententiam esse: Probe noram, quam caducae et fragiles tales statuae essent; conf. p. 123, v. 4., quo loco summa sententia repetita est. Igitur, si sincera est vulgata scriptura, interrogandi signum post τοῦ χρόνου collocandum est, quemadmodum factum est in Reiskiana. „At ego nescirem —?" At hoc invento non usus est R., qui hic quoque lacunam sibi detexisse videretur. Omnino incommoda est particula ἀλλά. Nam quae praecedunt „sciebam, mortalem me genuisse," vim habent eandem, nec potest his verbis, quae tractamus, non illorum aut confirmatio aut explicatio contineri. Erunt igitur, qui pro ἀλλά — ἆρα scriptum malint; vel si quis antecedentis vocabuli (γεγεννηκώς) partem postremam respiciat: ἢ πῶς ἂν οὐκ ᾔδειν — „aut qui tandem ego nescirem." Verum etiam particulae ἀλλά in oratione vivida et impetum affectante suum sibi locum esse, mihi persuadeo. Refertur autem ad incredulorum non expressam illam quidem sed cogitatam intercessionem.

p. 121, 14. χρόνῳ δὲ καὶ ταῦτα μετὰ ἄλλων ἔοικεν ἐπιλείψειν, ὡς Μίδας ὡς παρθένος. Omissio articuli ante παρθένος legitima est, ut in enumeratione rerum plurium. In quo nostrates etiam articulum abiicimus. Si abesset ὡς Μίδας aut interponendus erat articulus, aut soloeca esset oratio.

Ibid. v. 20. τίς οὖν οἶδεν Ἑλλήνων, οὐχ ὅτι τὸν ἵππον, ἀλλ' αὐτὸν τὸν Ἱππαίμονα; δοκοῦμεν οὐδὲ Μαγνήτων, ὅθεν ἦν Ἱππαίμων. Quod δοκῶ μὲν Reisk. vulgatae praetulit, iure factum existimo; temere, quod idem οὐδεὶς (cogitatione illud supplendum ex antecedente τίς) post Μαγνήτων addebat.

Ibid. v. 24. Codicis scriptura ἑτέρων non deterior est coniectura Valesii, quam cum ipse Vales. Emend. p. 67. dubitanter proposuisset, calidius amplexus est R.

p. 122, 32. ἐπιγραφὴν ἔχοντα Χαλκοπώγωνος· — Statuae Alcibiadis, Athenis, ut videtur, collocatae (ἐν καλῷ τῆς Ἑλλάδος), inscriptum erat nomen Aenobarbi. Nam de cognomine illo gentis Domitiae cogitandum esse, nolim dubitari.

Ibid. v. 42. ἐτόλμησαν δὲ καὶ Φιλίππου τοῦ βασιλέως ἀμίδας κατασκευάσαι. Ἀθηναῖοι μὲν οὖν τῆς εἰκόνος οὖρον κατέχεον, ἐκεῖνος δὲ τῆς πόλεως αἷμα καὶ τέφραν καὶ κονίαν. — Reiskius cum κατασκεδάσαι, quod unius litterulae momento a vulgata differt, reponendum duxisset, in hac sen-

tentia confirmatus est eo, quod eandem scripturam in Var. L. Ven. reperit. Nixus est autem duobus argumentis. „Si voluisset, inquit, significare, Athenienses Philippi statuas conflasse et iis matulas confecisse: dicendum erat *ἐκ Φιλίππου*." In quo errat vir praestantissimus. Non enim opus erat praepositione, genitivus per se et substantivis et verbis coniungitur ad significandam materiam, e qua quid constat. Conf. Lucian. Herc. c. 3. *σειραὶ χρυσοῦ εἰργασμέναι.* — Alterum eius argumentum haud melius est. „Ipse, inquit, auctor verbis *Ἀθηναῖοι μὲν οὖν τῆς εἰκόνος οὖρον κατέχεον* apertissime mentem suam declaravit." At vero quid impedit, quin *εἰκώ* accipiamus pro matulis dictum, quae quondam statua regis fuerunt? Apparet igitur, cum utraque scriptura per se probabilis sit, ad Codd. vero auctoritatem in tam levi litterarum differentia provocari non debeat: alio argumento certandum esse, historiae testimonio. Quod ego iam nequeo afferre. — De Demetrii Phalerei statuis conf. Diog. Laert. Tom. I. p. 368. Huebn. et eius interpres Menagius.

p. 123, 7. *καὶ τοὺς μὲν ἄλλους σιγήσειν μοι δοκεῖ.* Hoc vereor ne praeter morem dictum sit. Loquendi usus *δοκῶ* poscere videtur. conf. Ps. Dem. in Amat. p. 1411. R. *αὐτοῦ καταλύσειν μοι δοκῶ τὸν ἔπαινον.*; Aeschin. in Ctes. p. 441.; Isocrat. Wolf. p. 228, 24. — Quamquam non ignoro, latissime patere hunc usum, ut verba volendi et iubendi cum infinit. futur. iungantur; idque fieri videtur, quotiescunque non modo voluntas faciendi, sed etiam fiducia, esse aliquid futurum, significanda est. Ratio igitur non obstat vulgatae. conf. Lobeck. ad Phryn. p. 747.

Ibid. v. 12. Ante v. *Φίλιππον* aliquod pronomen relativum, vel particula excidisse videtur. Fortasse *ὅς*, quod antecedentis vocabuli (*πεπειραμένος*) terminatio sede sua facile potuit deturbare. E proximis librariorum culpa alicuius vel Graeci vel Troiani herois nomen excidisse, satis probabiliter coniecit R. [1]). Quae sequuntur sic tractavi in opusculo, ut etiamnum in eisdem acquiescam.

p. 124, 18. *σπουδῇ;* sic enim pro vulgato *σπουδή* repo-

1) De artis operibus apud Thespienses eximiis conf. Dicaearch. D. G. in Geograph Gr. M. ed. Gail. I, p. 131.

nendum est) *δέ μοι ἐπελήλυθεν, Ἀγησίλαον, τὸν βασιλέα τῶν Λακεδαιμονίων, τῆς γνώμης μακαρίσαι, ὅστις οὔποτε ἠξίωσε οὔτε πλαστὸν οὔτε μιμήλην τοῦ σώματος ποιήσασθαι.* Ablegamur a Reiskio ad (Ps.) Plutarchi Apophth. Lacon. p. 210. D. (Tom. 8, p. 178. Hutt.). Sed certa loci emendatio repeti poterat ex eiusdem Apophth. reg. et imp. Tom. 8. p. 129. Hutt.: *ἀποθνήσκων δὲ τοὺς φίλους ἐκέλευσε μηδεμίαν πλαστὰν μηδὲ μιμηλὰν ποιήσασθαι, τὰς εἰκόνας οὕτω προσαγορεύων.* Hinc *πλαστὰν* et *μιμηλάν* restituendum oratori.

p. 125, 32. *ἅδην Προμηθέως, ἅδην πηλοῦ.* Reiskius „sententia, inquit, videtur haec esse: Satis esto ad mala humana, simulacra figlina hominum facere. Ultra ne procedat ars; nam in opere vili exigua est iactura." Non perspexit vir egregius oratoris acumen. Nam, quod nexus sententiarum poscit, verba illa hoc sibi volunt: Satis est, corpus nos habere Promethei quondam arte e luto effictum; conf. Callim. apud Clem. Alex. Strom. L. V, p. 591.

ἦν κεῖνος οὑνιαυτὸς, ᾧ τό τε πτηνὸν
καὶ τοὺν θαλάσσῃ καὶ τὸ τετράπουν οὕτως
ἐφθέγγεθ' ὡς ὁ πηλὸς ὁ Προμήθειος.

Sequuntur haec: *καίτοι καὶ τὸ σῶμα τῶν γενναίων φησὶν ἀλλότριον εἶναι,*

— — ἐπειὴ μάλα πολλὰ μεταξὺ
σώματός τε καὶ ψυχῆς. ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἔστιν οὐδὲ φροντίζει, τοῦ σώματος κάμνοντος. — *ὁ μὲν,* quo referatur, non habet, nisi quis e. v. *γενναίων* — *ὁ γενναῖος* cogitatione repetiverit. Quod non adeo est exemplo destitutum, ut aut *ἡ μὲν*, ut voluit Seldenus, aut *ὁ μὲν νοῦς*, sicut Reiskio placuit, scribi necesse sit. — Sed etiam v. *οὐκ ἔστιν* corrupta visa sunt iisdem viris, quorum S. *οὐκ ᾔσθετ'*, alter *οὐκ αἰσθάνεται* ut genuinum commendabat. Sed ego ne hic quidem a vulgata discesserim. Facile enim ad v. *οὐκ ἔστιν* e. v. *τοῦ σώματος κάμνοντος* — *ὁ κάμνων* suppletur. Quod neminem fugeret, si hoc se ordine verba exciperent: *τοῦ σώματος κάμνοντος, οὗτος οὐκ ἔστιν.*

p. 125, 40. Cambyses ut in Amasis saevierit, Aegyptiorum regis, cadaver, legitur apud Herod. III, 16. — De Anaxarchi morituri constantia et eius interfectore Nicocreonte, Cyprio tyranno, conf. Cic. Disp. Tusc. II, 22, §. 52.; et Valer.

Max. III, 3, Extern. 4. De verborum scriptura teneo, quae dixi in opusc. meo.

p. 126, 11. *ὥσπερ φασὶ Περσῶν τοὺς ὁμοτίμους λαμβάνειν πληγὰς, ἀντὶ τοῦ σώματος τὸν κάνδυν.* — Reisk. *ἐς τὸν κάνδυν.* Poterat, si modo vitiosa esset vulgata, eodem iure *τοῖς ὁμοτίμοις.* Verum non est vitiosa, nec sine acumine vulgata. Nam solenne est, quae quis alius vice vel facit vel patitur, ea cogitandi et dicendi quodam compendio, de illo praedicari, cuius vice fungitur. Recte dicetur, qui ipse non adest, *δι' ἄλλων παρεῖναι,* cum habet, qui praesentes vice sua fungantur. Simile est huius orationis p. 125, 29. *μὴ δεῖ κινδυνεύειν περὶ τῷ σώματι κατὰ λίθον ἢ χαλκόν.* Eodem nos dicendi compendio utimur, quoties „in effigie quem patibulo suspendimus." Acute igitur et recte orator: „Persarum proceres vapulant; non ipsi sed vestis." — De isto vero Persarum instituto, quod primus Artaxerxes Longim. introduxit, conf. Plut. Tom. 8. p. 85. Hutt. *πρῶτος τοῖς ἁμαρτάνουσι τῶν ἡγεμονικῶν τιμωρίαν ἔταξεν, ἀντὶ τοῦ τὸ σῶμα μαστιγοῦν, μαστιγοῦσθαι μὲν ἀποδυσαμένων τὰ ἱμάτια, καὶ ἀντὶ τοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτίλλεσθαι, τὴν τιάραν ἀποθεμένων.* Haud illepidum, me Dius Fidius, inventum et exosculandum his, qui, quomodo *μαστιγοκρατίαν* et *ἀριστοκρατίαν* concilient, non habent. — *ὁμότιμοι* qui fuerint, conf. Raphel. ad Arrian. E. A. III, 11, 12. — Nolui a verberibus et flagellis decedere, quin locum orationis Alexandrinae, Dionis T. I, p. 694, 11., in parodia versuum Homericorum corrigerem. Est istic:

εἰ δ' ἄγε νῦν πείρησαι, ἵνα καμφθεὶς ἀποτίνῃς.

καμφθείς, palam illud mendosum, mutandum est in *κναφθείς* „probe mulcatus verberibus." Nam verbum *κνάπτειν* ingenti interest vocum agmini, quibus popularis festivitas rem parum gratam accipientibus *ὑποκεκόρισται.*

Continuata sunt apud oratorem Corinthium haec: *Πέρσαι μὲν οὖν ἐπὶ τοσοῦτον δυσφοροῦσιν· Ἕλλην δ' ἀνὴρ παρείχε τύπτειν τὸ σῶμα ὡς κάνδυν, ὡς ἱμάτιον· ἡμεῖς δ' οὐ παρέχομεν τὸν ἀνδριάντα χορεύειν, ἂν αἰσθάνηται; νῦν δ' ὁ μὲν κρείσσων αἰσθήσεως· ἐγὼ δὲ κατὰ τὴν Εὐριπίδου Λαοδάμειαν*

οὐκ ἂν προδοίην καίπερ ἄψυχον φίλον.

Reiskius, quamvis oratoris mente recte perspecta, plura

tamen mutabat, quam opus erat. Omnino, quod *ὡς ἱμάτιον*, ut interpretamentum Persicae vocis, tollendum censuit, prorsus me consentientem habet; nec de corruptela v. *χορεύειν* dubitari debet; sed Casauboni *χορδεύειν* (i. e. *κατακόπτειν*), ut Reiskiano *καταχωνεύειν* significantius et ad mutationem facilius, praetulerim. — Quod reliquum est, corrigenda interpunctione defungamur. Distingue sic: — — *τὸ σῶμα ὡς κάνδυν· ἡμεῖς δ' οὐ παρέχομεν τὸν ἀνδριάντα; χορδεύειν* (cogitatione repete *παρέχομεν*), *ἂν αἰσθάνηται. νῦν δ'* —. Ceterum ego hucusque Corinthiacae auctorem quominus vituperarem mihi temperavi. Nolebam fortis esse in viro pridem mortuo, et qui pravam aetatis suae consuetudinem aegre exueret. At quoniam Reiskius hoc eum loco perfacete lusisse praedicavit, dicam, quod sentio. Quicunque facetias quoquo modo captat et venatur, eas maxime, quae aliquam exquisitioris doctrinae speciem praeferant, is non potest, quin ad ineptias interdum devolvatur. Id huic oratori accidit. Quid enim ineptum est, nisi ideo statuam nolle comminutam, quod sensu careat? Sed Anaxarchus vellet nollet obtrudendus erat orationi. Quid porro ineptius est, quam statuam, quam modo ut sensu carentem noluerat concidi, eandem uno spiritu ut sensus compotem consolari? (v. 21. *βούλομαι οὖν αὐτὸν ὡς αἰσθανόμενον παραμυθήσασθαι*). Scilicet molestum erat, Euripidis versiculo abstinere.

p. 127, 22. *ὦ λόγων ἐμῶν σιγηλὸν εἴδωλον. οὐ φαίνῃ; οὐδὲ γὰρ ὁ πρὸ σοῦ Ἀριστέας. ὧδε γὰρ ἔσχε κἀκείνῳ, ὃς ἐμοὶ εἰκάσθη, ἀναστῆναι μὲν αὐτὸν ὑπὸ τῶν Προκοννησίων, ἀφανισθῆναι δὲ ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν.* — In his *κἀκείνῳ* non potest non referri ad Aristeam. Apparet igitur, v. *ὃς ἐμοὶ εἰκάσθη* non potuisse sic scribi. Cui incommodo ut subveniret Reisk., ita locum conformavit: — *κἀκείνῳ, ὡς καὶ σοὶ, ὃς ἐμοὶ εἰκάσθης*, parum congruenter quaesitae oratoris breviloquentiae. Erant potius v. *ὃς ἐμοὶ εἰκάσθη* eiicienda, quo facto tantum proficit periodi et simplicitas et nitor, ut, si modo corruptelae origo probabili ratione explicari possit, non ampliandum sit. Atqui non obscurum est, audacioris dictionis *ὦ λόγων σιγηλὸν εἴδωλον* interpretationem ista verba continere. Haec, ad marginem adscripta, in contextum orationis postmodo irrepserunt.

p. 128, 32. De Sapphonis versu *μνάσασθαί τινά φαμι καὶ ἕτερον ἀμμέων* — conf. Collect. fragm. Sapph. et Alcaei, quam edidere Matthiae et Neue (est istic fragm. XVI.) et eius censor, Seidlerus, in Museo Rhen. a. III, Fasc. 2, p. 176. Neuio ingeniose *καὶ ὕστερον* reponenti pro *καὶ ἕτερον* obloquitur Seidlerus [1]). Potuisse enim, ait, aliquid praecedere, quo *καὶ* referretur, sicut: non modo sodales vel populares (nisi forte semet Sappho aliis opponit). Idem Seidlerus versum illum carmini attribuit, quod inscriptum fuerit *πρός τινα τῶν ἀμούσων καὶ ἀμαθῶν γυναικῶν*. Numeros autem choriambicos omisso vocabulo conturbatos esse. Itaque versum sic scriptum dedit:

μνάσασθαί τινά φαμι υ υ — χἄτερον ἀμμέων.

At ne quis homo cum malitia acutus illum Sapphonis versum in calce huius disputationis collocatum inani cuidam meae gloriationi tribuat, afferam Pherecratis Comici verba, quae isti ominosa futura praesto. Pherecratis fragm. apud Plut. de mus. Tom. XIV. p. 236. Hutt. tractavit Hanovius in exerc. crit. L. I, p. 36. et eius censor Franckius, in Iahn. Ann. T. I, Fasc. 1. a. 1832. p. 31. Huius fragmenti v. 13. sic vulgatur:

ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποις οὕτως ἦν ὅμως ὅμως.

Qualis sententia flagitetur, non latet. Non ea potest multum discrepare a v. 6. *ἀλλ' οὖν ὅμως οὗτος μὲν ἦν ἀποχρῶν ἀνήρ*. Vide igitur, ne ita legendum sit:

ἀλλ' οὖν ἀνεκτὸς οὗτος ἦν ὅμως ἐμοί.

---

1) ὕστερον in ἕτερον recte mutavit Reisk. Dion. T. I, p. 685.

III.

OBSERVATIONES IN LYSIAM [1]).

Non ignoro, mi Classeni, ob familiaritatem summi viri, cuius praematurum fatum lugent, quibuscunque bonae artes cordi sunt, Niebuhrii, minorum gentium amicorum, quibus Lipsiae utebaris, memoriam animo tuo haud excidisse. Fuit sane iucundum illud tempus et laetabile, cum Lipsiae fuimus una, societatis Graecae sodales, tu et Sintenis et Foertschius et Hauthalius et misellus Hubnerus, alii candidi iuvenes, suo quisque nomine laudandi. Quae vero singulis nostrum amicitiae intercedebant, eae quasi quodam communi vinculo incomparabilis viri, Hermanni, amore et observantia continebantur. Quem utinam ita, ut novimus nos, isti nossent, qui ei nunc obtrectant, et dictu indignum, saepe conviciantur. Illorum igitur temporum ut gratam recordationem renovarem, haec quae de Lysia habebam, in formam disputationis redegi, quales in societate Graeca praeside Hermanno institui solebant. Nam forte fortuna accidit, ut et Foertschius et Franzius quorum, uterque novam eius scriptoris editionem curavit, illi societati adscripti fuerint. Quapropter ipsis eorum verbis haud raro uti poteram; et ea tantum nequeo praestare, quae vel e silentio eorum colligenda erant, vel quae ad verae disputationis imaginem exprimendam pertinebant.

At cum alia fortasse non pauca, mi Classeni, tum hoc maximum desiderabis. Meministi enim, quanta humanitate Hermannus disputationibus nostris praeesse soleret; incitare languens disputandi studium, compescere nimiam alacritatem; ubi ad aliena deflexissemus, in viam nos reducere; postremo

1) Editae ad scholarum hibernarum auspicia celebranda anno MDCCCXXXIII. Censuram scripsit C. Sintenis in Zimmermanni annall. a. 1835, nr. 65.

controversias non auctoritate sua, sed argumentis et persuadendo dirimere, nec irasci, si pertinacius sententias nostras ab ipso defenderemus. Hunc igitur certaminis quasi arbitrum in hac commenticia disputatione desiderabis. Verebar enim mehercule, ne turpiter decoro exciderem, si Hermanni personam induere sustinerem.

Tibi vero, mi Classeni, hunc libellum inscripsi, cum ob alias caussas, tum quod te scio non tam quale sit anquirere, quam cuius sit munusculum.

At praemonenda sunt quaedam de illis libris M. S., ad quos maxime Bekkerus, quem honoris caussa nomino, Lysiae scripturam exegit et constituit. Non te latet, mi Classeni, Bekkeri laudes, postquam diu et merito a philologis celebratae sunt, nunc marcescere, ex quo cognitum est, non ea, qua omnes sibi persuadebant, diligentia in Codd. comparandis eum et enotanda scripturae diversitate versatum esse. Nec illud dico, non reliquis omnibus in hoc genere praestare Bekkerum; sed in eo etiam esse, quae desideres. Huc accedit, quod persaepe accusanda est ista eius, quae in proverbium abiit, taciturnitas; boni illa quidem exempli in hac plerorumque editorum garrulitate; at quid prodest, saepe tacuisse Bekkerum, si alii ex eius silentio dicendi materiam ducunt? Quod mihi quoque, mi Classeni, usu venit. An tu putas, toties me in alia omnia fuisse discessurum, si ille, quam rationem secutus multorum locorum scripturam conformaverit, saepius explicare voluisset?

At veniamus ad propositum. Ac primum quidem manifestum est, aut plerarumque aut omnium Lysiae orationum scripturam, quae nunc fertur, ex uno archetypo manasse. Nam et plurimae lacunae omnium Codd. communes sunt, et multae alius generis depravationes. Quod cum non fugeret Bekkerum, e pluribus, qui ei praesto erant, Codd. duos tantum, Laurentianum C et Palatinum X totos contulit; a reliquis, ut ipse professus est (p. 161.), tantum sumpsit, quantum opus esset intellecturo, esse alium alio nequiorem. Plurimum vero tribuit Cod. C. Nec immerito. Nam cum multis locis veram ille scripturam servaverit, tum solus ex omnibus lacunarum notationes habet, ut facile appareat, a vetusto illo archetypo aliquanto propius hunc abesse, quam reliquos libros M. S. Et

in lacunarum quidem notatione [1]) et collocatione verborum constanter eum secutus est Bekkerus; suo iure plerumque. Idem in reliquis huius saepe auctoritatem ceterorum librorum consensui anteposuit. Quod cautius vellem fecisset. Nam liber ille Laurentianus plurimis locis interpolationes habet et emendationes. Quod cum vidisset Foertschius (conf. Comment. Crit. p. 37.), neque id demonstravit idoneis exemplis, neque invento illo toties, quoties opus erat, ad scripturam recte constituendam usus est. Neque vero ipse demum liber Laurentianus interpolatus est et emendatus, sed iam illud exemplum, e quo transcriptus est. Nam secundae manus vestigia nulla propemodum in eo exstant; librarium vero, qui eum exaravit, non admodum gnarum Graecae linguae fuisse, aliquot barbara verborum portenta, passim a Bekkero ex illo libro enotata, demonstrant. At is, qui e suo ingenio librorum scripturam saepenumero mutavit, haud dubie vir fuit non indoctus, quique subinde verum coniectura assequeretur; quo magis cavendum est, ne pro Iunone nubem amplexemur. Neque tamen semper bene cessit interpolatori, quod iam aliquot exemplis ostendendum est. Alia vel magis luculenta in altera libelli parte reperientur. (Conf. dicta de p. 244. §. 6; p. 257. §. 77.; p. 285. §. 7.)

Orat. II. p. 179. §. 31. Hic solus Cod. C v. *ἡττῶντο* habet. At recte Bekkerus aposiopesin, huic loco aptissimam, noluit de interpolatoris sententia corrumpere.

Orat. IV. p. 204. §. 19. Libri omnes *ἀλλὰ λόγῳ τὸ τῶν πάντων*. Solus C omittit *τό*, scilicet ut rite constructio procederet. At verissime Sluiterus et Coraës *ἀλογώτατον πάντων* scribendum esse coniecerunt.

Orat. VII. p. 218. §. 6. *πλείω ἢ τρία ἔτη.* Sic Cod. C; Cod.
ω
X *πλεῖον*. Apparet igitur, eandem coniecturam duos interpolatores fecisse. At non dicendum erat „plures quam

---

1) In uno tantum, quod ego sciam, loco dubitari potest, an non recte Cod. C lacunae signa habeat, orat. in Andoc. p. 207, §. 9. *εἰς τοσοῦτο δὲ τόλμης ἀφῖκται, ὥστε καὶ λέγει περὶ τοῦ νόμου, ὡς καθήρηται ὁ περὶ αὐτοῦ κείμενος καὶ ἔξεστιν αὐτῷ ἤδη εἰσιέναι εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὰ ἱερὰ . . . . . ἂν ἔτι καὶ νῦν Ἀθηναίων ἐν τῷ βουλευτηρίῳ.* Hic C habet unius versus lacunam. At si *ἂν* in *ὢν* mutaveris, nihil deerit ad integritatem sententiae.

tres annos sed „plus tres annos, i. e. tres annos et quod excedit." Adsciscendum igitur, quod Cod. X a prima manu habet.

Orat. XIII. p. 266. §. 20. *προςέχητε.* Cod. C *μὴ προςέχητε.* Reiskius *ἧσσον προςέχητε,* quod recepit Bekkerus. Itaque in eundem errorem, sane quam pronum, inciderunt et vetus interpolator, et Reiskius et Bekkerus. Nam sanissima est vulgata.

Eiusd. orat. p. 267. §. 24. *εἰς ἄστυ.* Cod. C *εἰς τὸ ἄστυ,* quod recepit Foertschius, non recte, opinor.

Eiusd. orat. p. 274. §. 55. *εὑρίσκονται.* Cod. X *εὑρίσκων τε,* e quo Reiskius verissime fecit *εὑρίσκονται*; interpolator Cod. C *εὑρίσκουσι,* parum Graece.

Eiusd. orat. 278. §. 74. *τῆς φυγῆς ἧς αὐτοὶ ἔφυγον.* Codicis C emendator *ἥν*, offensus, ut videtur, attractione.

Orat. XIV. p. 289. §. 25. *πολλῶν ὁρώντων ἔπινεν ὑπὸ τῷ αὐτῷ στρώματι.* In libris M. S. cum legeretur *ἔτι μέν,* quod in *ἔπινεν* mutandum esse, viri docti viderunt, interpolator Cod. C, quod non intelligeret, satius duxit omittere. Idem parum feliciter e corrupto *αὐτόματι,* fecit *αὐτῷ οἰκήματι,* quod iure spreverunt editores.

Eiusd. orat. p. 290. §. 29. *μέρος τῶν ὀνειδῶν.* Cod. X *τῶν εἰδῶν;* emendator Cod. C *τῶν εἰδῶν* omisit, quod intelligeret, *τῶν ὑμετέρων* nullo addito substantivo ferri posse, *τῶν εἰδῶν* nullo modo.

Orat. XV. p. 294. §. 2. *ἐνθυμουμένους, ὅτι σφόδρ᾽ ἂν ἠγανακτεῖτε, εἰ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ δοκιμασίᾳ οἱ θεσμοθέται ἀναβάντες ὑμῶν ἐ δ έ ο ν τ ο μὴ κ α τ α ψ η φ ί σ α σ θ α ι, ἡγούμενοι δεινὸν εἶναι, εἰ οἱ τιθέντες τὸν ἀγῶνα καὶ τὴν ψῆφον διδόντες παρακελεύσονται μὴ κ α τ α ψ η φ ί ζ ε σ θ α ι.* Postrema in Cod. X sic scripta sunt: *παρακελεύσονται τὸν μὲν μὴ καταψηφίζεσθαι;* in Stephan. *π. τῶν μὲν μὴ κ.* — Vere opinor Markl. *τῶν μὲν καταψηφίζεσθαι, τῶν δὲ μή.* At in prioribus quoque v. *ἐδέοντο καταψηφίζεσθαι ἢ μὴ καταψηφίζεσθαι* scribendum esse videtur.

Orat. XVII. p. 302. §. 4. *ἐγὼ δὲ πολύν.* Hoc interpolatoris Cod. C commentum est, pro reliquorum librorum scriptura *καὶ λόγῳ.* At recipiendum erat, quod Reiskius coniecit,

καὶ ἃ ἐγώ. Hoc enim solum intelligi potest, nec longe recedit a librorum scriptura.

Orat. XIX. p. 313. §. 22. τῇ δὲ προτεραίᾳ ἥ ᾗ ἀνήγετο. Cod. X omittit ἥ; Stephan. ᾗ. Cod. C scriptura ἥ ᾗ valde suspecta est. (Conf. Buttm. ad Dem. Midian. c. 33.)

Eiusd. orat. p. 317. §. 42. κατεχορήγησε δέ. Libri M. S. καὶ ἐχορήγησε δέ. In solo Cod. C omissa p. δέ. Videbatur enim una particula interpolatori sufficere. Verum Reiskius invenit.

Eiusd. orat. p. 319. §. 31. καὶ ἰδίᾳ ἀδίκως γε. Particulam γε, quae si καὶ ἰδίᾳ scripsisset Lysias, magnam sane offensionem haberet, omittit Cod. C. At est illa aptissima, si adoptatur Reiskii coniectura καὶ νὴ Δία, quae propemodum necessaria est.

Orat. XXIV. p. 343. §. 3. τὸν ἄλλον βίον. ἄλλον non recte omittere videtur Cod. C, fortasse, quod usum illius verbi, ex intima Graecitate repetitum, ignoraret emendator.

Eiusd. orat. p. 345. §. 9. εἰ δὲ ὧν ἐγὼ λέγω τύχοι τις γενόμενος. Hanc Cod. C scripturam recepit Bekk.; Cod. X γενόμενον habet; Stephaniana exempla γενομένων. Reiskius coniecit ὡς ἐγὼ λέγω τύχοι γενόμενον, qualis sententia sane requiritur. At facilius scribetur ὧν ἐγὼ λέγω τύχοι τι γενόμενον, servata Cod. X scriptura, nisi quod τίς in τί mutandum est.

Orat. XXV. p. 349. §. 1. τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας. In libris M. S. est τοὺς μὲν ἀδικοῦντας. Interpolator Cod. C particulam sane ineptam eiecit. At μηδέν poscit sententia.

Eiusd. orat. p. 355. §. 27. ἄξιόν ἐστι. ἐστί a solo Cod. C sumptum, suspectum est.

Ibid. §. 28. διελύσαντο τοῖς. Interpolator Cod. C, cum corruptelam sensisset, perversa ratione loco subvenit. Interposuit enim ὥστε, scilicet ut infinitivum ἐμμένειν fulciret. Taylorus διεκελεύσαντο reposuit, iure receptum a Bekkero.

Eiusd. orat. p. 356. §. 3. τούτους. Cod. C αὐτούς, quod recte respuit Bekkerus. Nam αὐτούς communi loquendi usui, τούτους huius oratoris proprietati convenientius est. Statim quod legitur δι' αὐτό, sumptum a Cod. C, vereor ne interpolatori debeatur. Ceterorum librorum scriptura τὸ

αὐτό potius ad *τὸ αὐτῶν* ducit „quantum in ipsis erat, pro virili parte."

Orat. XXVII. p. 365. §. 13. *ἀδικουμένοις ὥστε*. Libri M. S. *ἀδικουμένοις ἴσως τε*. Interpolator Cod. C, cum iure ad particulam *τέ* offenderet, *καί* scribere maluit (*καὶ ἴσως*), in quo Foertschium Franziumque adstipulatores habuit. Sed neuter adverbii *ἴσως*, a Lysia eo modo, quo hic volunt, usurpati, exemplum potuit afferre. Verissime Taylorus *ἀδικουμένοις ὥστε*. Nam vulgata scriptura nata est e syllaba verbi *ἀδικουμένοις* postrema perperam repetita.

Orat. XXXI. p. 383. §. 15. *καὶ ταῦτα, ὥς φησί, καὶ ἀστὸς γενόμενος*. Sic C; vulgata *φησὶ δὲ καὶ ταῦτα καὶ αὐτὸς γενόμενος*. Primo adspectu satis placet, quod Cod. C habet *ἀστός*. At si ita scribitur, v. *καὶ ταῦτα, ὥς φησί, καὶ ἀστὸς γενόμενος* non possunt ad proxima tantum *οὐδὲ γὰρ τούτοις ἠθέλησε συγκατελθεῖν* referri, sed ad utramque sententiae partem pertineant necesse est. Nam eo, quod civis erat, non magis eum a populari, quam optimatum factione stare consentaneum erat (cives enim et Piraeeum et urbem tenebant); sed illud indignum erat, quod, quamvis civis esset, neutras partes amplexus erat. Iam vero facile apparet, totam hanc accusationem nullam vim habere, si Philo non erat civis; nec eam alio quam hoc fundamento niti. Mirum igitur, si istud, quo solo totum crimen constat, quasi quaedam accessio per verba *καὶ ταῦτα* praecedentibus adnectitur. Itaque hoc unum reliquum est, ut *ἀστός* hoc loco *φύσει πολίτην* (non *πολίτην* simpliciter) significet. Nam *ἀστός*, ut constat, *peregrino* opponitur. Itaque peregrinus civitate donatus *πολίτης* est, non *ἀστός*. Ita si locum interpretere, mutanda est distinctio; colon enim ponendum est post *συγκατελθεῖν*, ut appareat, ad utramque partem sententiae proxima verba referri. — At ego magnopere vereor, ne id non voluerit orator. Nam primum incommodum est illud *καὶ ταῦτα* ad utramque sententiae partem relatum; porro *ἀστός* certe obscurius dictum est. Videndum igitur, ne *ἀστός* ex interpolatoris haud indocti coniectura profectum sit; *αὐτός* vero, quod ante Bekkerum vulgabatur, retinendum. Nam Lysiam *καὶ ταῦτ', ὥς φησι καὶ αὐτὸς*

δημοτικὸς γενόμενος scripsisse opinor. Videntur autem in vetusto Codd. nostrorum archetypo syllabae quaedam oblitteratae fuisse. Quo factum est, ut v. δημοτικός in Cod. C excideret; in aliis vero Codd., unde vulgata scriptura ducta est, etiam plura turbarentur, augescente, ut fieri solet, cum tempore vetusti libri morbo. Ad sententiam vero δημοτικὸς γενόμενος sat plausibile est. Nam Philonem voluntatem suam, qua populari factioni studuerit, apud iudices praedicasse, haud abhorret a veri similitudine.

Conveneramus stato tempore Graecae societatis sodales. Cum aliquantisper sermones essent collati, factum est subito silentium. Audiebatur enim gressus concitatus ille quidem, sed gravis, qualis eorum esse solet, qui equis saepe vehuntur. Quem sonitum satis notum cum auribus excepissemus, surreximus omnes; intrat Hermannus, et postquam comiter, ut solebat, nos salutavit, consedit. Tum nos quoque consedimus. Erant autem eo die Foertschii et Franzii partes disputandi. Quorum Franzius cum dicendi initium esset facturus, ego interpellans: Nisi vobis, inquam, viri humanissimi, molestum est, me vestrae disputationis participem esse sinatis. — Tum Franzius, non invidebo tibi, nec Foertschium puto, si quid habes, id dicere. — Benigne, inquam. — Deinde ad Foertschium conversus sic infit: Egregie tu quidem, Foertschi, de Lysia meritus es; multa feliciter emendasti; multa meliore interpretatione a conatibus aliorum vindicasti. At plurima aliis emendanda reliquisti, quae nisi qui linguam Graecam subtilius percalluerit, nolit tetigisse. — Feci equidem, inquit Foertschius, quantum mihi licuit per virium mearum imbecillitatem (erat enim et est insignis in eo viro modestia); tu si quid melius invenisti, gratus accipiam. — Vin' tu, inquit Franzius, eum in disputando orationum ordinem me sequi, quo scriptae sunt a Lysia, an vulgarem istum, quo nunc digestae feruntur? Foertsch. — Vulgarem, quaeso; alterum enim incommodum est.

Itaque Foertschium evolvere iussit orat. funebr. p. 180. §. 34. Bekk., ubi haec leguntur, ὡς μέγας καὶ δεινὸς τῇδε τῇ πόλει κίνδυνος ἠγωνίσθη, et reprehendebat Foertschium,

quod Stephanianam scripturam *οἷος* iudicio suo comprobasset; Foertschius vero strenue sententiam suam defendebat. Tum ego, mittatis iam, quaeso, istum locum, et proxima oratoris verba mecum considerate, ad quae non offendisse vos, equidem demiror. Sunt autem haec: *ποίαν δὲ γνώμην εἶχον ἢ οἱ θεώμενοι τοὺς ἐν ταῖς ναυσὶν ἐκείναις, οὔσης καὶ τῆς αὐτῶν σωτηρίας ἀπίστου καὶ τοῦ προσιόντος κινδύνου, ἢ οἱ μέλλοντες ναυμαχήσειν ὑπὲρ τῆς φιλότητος, ὑπὲρ τῶν ἄθλων τῶν ἐν Σαλαμῖνι;* — Franz. — Quid, malum, in loco sanissimo negotium tibi facessivit? Nam equidem nihil video difficultatis. — Itaque fac, inquam, ut ego quoque nihil videam. At etiamnum fateor permolesta mihi esse v. *καὶ τοῦ προσιόντος κινδύνου*, assuta verba *οὔσης καὶ τῆς αὐτῶν σωτηρίας ἀπίστου*. — Fra. — Quam ob rem? — Misere mihi frigere videntur, et prorsus supervacanea esse. Quae si fingis omissa, nonne dicit omnia, quibus opus erat „cum etiam ipsorum salus incerta esset?" In hoc enim iam inest illud, instantis certaminis exitum incertum esse, quoniam ipsorum salus ex eo certamine, non aliunde, pendebat. Porro vel ineptum mihi videtur, instans aliquod periculum incertum vocari. Periculum enim non incertum ne cogitari quidem potest. — Foertsch. — Effecisti, ut dubitem, non ut damnem verba, quae tibi suspecta sunt. Hoc enim orator mihi dicere videtur, non minus incertam fuisse ipsorum salutem, quam exitum certaminis; nec vim iteratae particulae *καί* ab hac sententia abhorrere mihi persuadeo. — Magnum, inquam, illud puto, quod te dubitare dicis. Neque enim iam plus postulo. At verba *ὑπὲρ τῶν ἄθλων τῶν ἐν Σαλαμῖνι*, utrum aliud quid, an hoc significare existimas, uxores, liberos, parentes, qui quasi quaedam praemia certaminis (*ἆθλα*) in insulam expositi erant? — Foertsch. — Nihil equidem aliud. — Igitur, inquam, concedas mihi necesse est, orationis aequabilitatem concinnitatemque prorsus neglectam esse a Lysia. Nam *ὑπὲρ τῶν ἄθλων τῶν ἐν Σ.* alio referri nequit, quam ad *ποίαν γνώμην εἶχον*. Atqui, cum orationem fecerit bipartitam, *ἢ οἱ θεώμενοι* (ipsi illi in insulam expositi), et *ἢ οἱ ναυμαχοῦντες;* prior pars simplex habet *ποίαν γνώμην εἶχον*, altera his addita v. *ὑπὲρ τῶν ἄθλων τ. ἐ. Σ.*, quibus in priore parte nihil respondet. Nam ista verba tamquam communia ad

utramque partem trahere, haud dubie hominis inconsulti est. — Foertsch. — Est, mehercule. At iam videor quo tendas intelligere. An fallor, cum v. *καὶ τοῦ προσιόντος κινδύνου* sic a te mutatum iri opinor, ut suppleatur, quod ad concinnitatem loci tibi deesse videtur? — Prorsus, inquam, ita sentio. — Foertsch. — Vis igitur *ὑπέρ* in locum particulae *καί* substitui? — Id ipsum, inquam. At ne hoc quidem mihi satisfacit. Nam offendunt me etiam v. *ὑπὲρ τῆς φιλότητος*, quibus prorsus infringi vis sententiae mihi videtur. Nam haec ita composita *ποίαν γνώμην εἶχον οἱ ναυμαχοῦντες ὑπὲρ τῆς φιλότητος ὑπὲρ τῶν ἄθλων τῶν ἐν Σαλαμῖνι* (i. e. *ὑπὲρ τῆς φιλότητος*) nonne insubidam continent eiusdem sententiae repetitionem? Porro exilius v. *φιλότητος* abhorret, opinor, a reliquae orationis pondere et sublimitate, interpretisque sapit ingenium. Apparet autem, quam fuerit pronum, ad v. *ὑπὲρ τῶν ἄθλων τῶν ἐ. Σ.* interpretandi caussa adscripta v. *ὑπὲρ τῆς φιλότητος* postmodo in verborum continuitatem irrepere. Is quoque, a quo scriptura Cod. C *ὑπὲρ τῶν ἄλλων* (pro *ἄθλων*) profecta est, audacius illud dicendi genus non satis percepisse videtur. Hoc igitur dicit orator, qui in Salaminem erant expositi, hos de propugnatoribus suis et certamine sollicitos fuisse; ipsos propugnatores, non de sua salute, sed tantum de liberis, uxoribus, parentibus. — Quae cum dixissem, neque Franzio neque Foertschio me persuasisse, quamvis tacerent, intellexi; et poenitebat me, multa molitum nihil egisse. Neque tamen deterritus sum, quin denuo sic eos interrogarem: Quo casu, inquam, accidit, ut orat. in Andoc. p. 208. §. 11., cum legatur *τὸν Ἀρίστιππον* et statim *ὁ δὲ Ἄρχιππος*, id neutri vestrum displicuerit? Nam equidem mihi persuadeo, in priore etiam loco *Ἄρχιππον* reponendum esse, quod eo magis a vobis neglectum esse miror, quo pridem Andreas Schottus eam scripturam commendavit. — Non negabat Foertschius, eundem esse hominem, id quod ipsum verbum *ἠντιδίκει* satis ostendere. Nisi tu quid contra habes, inquit, Franzi? — Et ille: Habeo hercle. Quid enim Archippum potius, quam Aristippum nomen illi vultis fuisse? — Quoniam, inquam, credibilius est, ad celeberrimi philosophi nomen librarios aberrasse; nam aliud iam argumentum afferre nequeo. In quo cum non videretur acquiescere Franzius, oc-

cupans ego: Est eiusdem pag. §. 13. locus difficillimus, quem operae pretium est, diligentius contemplari. — Fr. — Num illud ὑμᾶς dicis, ad quod αὐτούς addendum esse significavi? — Bono, inquam, animo esto; non attingemus coniecturam tuam. At quae praecedunt verba, ab omnibus, quod sciam, interpretibus corrupta iudicata sunt. An tu in his tolerabilem sententiam inesse existimas: *τοὺς μὲν οὖν ἄλλους οἱ ἐπιτάξαντες καταδέξασθαι ἀδικοῦσι καὶ τοῦ αὐτοῦ ἀσεβήματος αἴτιοί εἰσιν. εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ἦτε καὶ ἐστὲ οἱ ἀφελόντες τὰς τιμωρίας τῶν θεῶν, ἀλλ' οὗτοι αἴτιοι ἔσονται.* Satis constat, inquam, quo tempore Athenae post proelium Hellespontium in Lysandri ditionem venere, pacis conditionibus adiectum esse, ut exules postliminio redirent. Tunc igitur ii quoque, qui, Andocidis indicio in discrimen adducti, solum vertere, patriae restituti sunt. Quorum ne exemplo se tueatur Andocides, graviter id factum reprehendit orator, eosque, quorum tunc in manu respublica fuerit, Lacedaemonios (*οἱ ἐπιτάξαντες καταδέξασθαι*), in partem impietatis ait venisse, quod istis reditus auctores fuerint. Iam eorum, quae sequuntur, e sodalibus quaesivi, utrum alia, an haec sententia esse deberet: Cum penes ipsos vos, non Lacedaemonios iam summa potestas est, vos impietatis crimine non absolvemini? — Hanc aiebant. — Iam manifestum est, inquam, v. *εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ἦτε* inepta esse, quae quoniam referuntur ad rem praesentem, non possunt non significare „si esset penes vos summa potestas;" unde sequeretur, non esse; erat vero. Quapropter non dubito, quin leni mutatione rescribendum sit *ᾖ γε* (pro *ἦτε*); „sin penes vos summa potestas, sicut est." — Praeterea vero quidquam mutari nolim. Nam, id quod debita iudicio reverentia poscebat, non ausus est illis subiicere: *ὑμεῖς αἴτιοι ἔσεσθε;* sed dicit in universum: *οἱ ἀφελόντες τὰς τιμωρίας τῶν θεῶν αἴτιοι ἔσονται.* — At videris mihi, inquit Foertschius, particulam *ἀλλά* neglexisse, quae si abesset, concederem tibi. — Minime, inquam, eam neglexi, vir amicissime. Est enim ellipticum illud *ἀλλά*, quod multa cum asseveratione hypotheticae protasi apodosin subiungere assolet. Quales aliquot loci iam apud Homerum reperiuntur. Ea vero particula omnino in initio apodosis ante *οἱ ἀφελόντες* poterat collocari; aptius vero et vocis necessariae modulationi convenien-

tius ad pronomen οὗτος, quo priora verba comprehensa repetuntur, quodque quasi alterum est apodosis initium, retracta est. — Haec indignatus Franzius: Fucum nobis facit ratiunculis. Ne mittamus eum, donec idoneis exemplis tam novum dicendi genus comprobaverit. — Qualia cum negassem in promptu mihi esse, erat qui pro ἀλλ' οὗτοι — οὐκ ἄλλοι proponeret. Corruptelae vero hanc aiebat originem fuisse, ut οὐκ superscriptum, quod saepe factum in libris vetustis, perperam transponeretur. At ego de mea sententia non decedebam.

P. 209. §. 19. haec leguntur: ἵνα ἀφικόμενος εἰς τὰ ἁμαρτήματα ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει δῴη δίκην. — Quaesivi e sodalibus, quo modo v. εἰς τὰ ἁμαρτήματα intelligerent. Nam διδόναι δίκην εἴς τι non esse Graecum, cum v. ἀφικόμενος autem non recte coniungi; hoc enim non posse non significare, postquam huc (Athenas) venit. Quam ob caussam εἰς in διά mutandum esse. Librarios autem errasse, quod loci, quo venerit, notationem desiderarent. Ceterum ad hunc locum referri, quae in defensione Andocidis leguntur de Myst. p. 122. §. 137 et p. 116. §. 113. Haec ratio anteposita est ei interpretationi, quam commendabat nescio qui, ut τὰ ἁμαρτήματα locum peccatorum significaret.

Exinde Franzii laudabamus inventum, qui p. 210. §. 20. pro οὔτε γάρ rescripsisset οὐδὲ γάρ; tum perventum est ad eiusdem orat. p. 211. §. 29., in quo loco vulgatam scripturam καταπλεύσας δὲ ἐκεῖθεν δεῦρο εἰς δημοκρατίαν εἰς τὴν ἑαυτοῦ πόλιν laturum me esse negabam. Et concesserunt mihi, suspecta esse v. εἰς τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, fortasse ex antecedentibus (§. 28. ἔφευγε τὴν ἑαυτοῦ πόλιν) perperam in hunc locum traducta. Ferrem ista, inquit, si sic scriberetur: εἰς δημοκρατουμένην τὴν αὑτοῦ πόλιν, ut est apud Andocidem p. 109. §. 87., vel: δεῦρο οὔσης δημοκρατίας εἰς τ. ἑ. π. At ne pertinaciorem me iudicetis esse, nil moror ista verba, quibus quidquid libuerit faciatis.

Leguntur eiusdem pag. 31. haec: καὶ τὸ μὲν σῶμα ἀεὶ ἐν δεσμοῖς ἔχει, ἡ δὲ αὑτοῦ ἐλάττων ἐκ τῶν κινδύνων γίγνεται, καὶ ὅταν τις τὸν αὑτοῦ βίον τοῖς ἐχθροῖς καὶ τοῖς συκοφάνταις διανέμῃ, τοῦτ' ἔστι τὸ τὸν βίον ἀβίωτον. Hic locus propter accusativum τὸν βίον ἀβίωτον a Stephano in discrimen vocatus est, nec eum sine veri specie inter βίον et

ἀβίωτον v. βιοῦν interposuisse rebamur, tametsi non falleret nos ea vulgatae scripturae excusatio, ut ex aliquo proverbio vel noto tunc omnibus poëtae versu nihil mutata illa verba deprompserit orator. Quae cum essent dicta adspexi sodales, ut e voltu eorum cognoscerem, numquid praeterea de hoc loco haberent. Postquam ad alia eos transituros esse apparuit, manete, inquam, paullisper. Tolerabitisne prorsus ineptam apud Lysiam sententiarum conformationem? — Quid reprehendis, inquit Foertschius? — Hoc inquam, reprehendo, quod cum v. τὸ μὲν σῶμα — κινδύνων γίγνεται ad Andocidem referantur, subito ad locum communem ὅταν τις seqq. deflectit oratio, ad quem transitur per particulam καί, longe alienissimam. Equidem καίτοι Lysiam scripsisse opinor, et plena interpunctione haec a proximis seiungo. — Agnoscebat uterque vulgatae scr. incommoditatem; at erat, qui genuinam scripturam καίτοι ἐάν esse suspicaretur.

Porro p. 212. §. 33. probata est egregia Foertschii emendatio τὰ πολιτικὰ πράττειν, ubi legebatur τῇ πόλει καὶ πράττει; et ibidem §. 34. ἀναγκαίως ἔχω in ἀναγκαίως ἔχει a Franzio haud male mutatum esse iudicavimus; nam ἀναγκαῖός εἰμί τι ποιεῖν ab ingenio quidem Graeci sermonis non abhorrere, verum a consuetudine dicendi. Erat autem, qui moneret, iam apud Homerum v. ἀναγκαῖος passivam significationem habere; id obstare, quominus nulla dubitatione eius rationem amplecteretur. Aliquanto confidentius approbata est eiusdem Franzii sententia, qua p. 213. §. 38. οὔτε ὢν (legebatur τῶν) πρὸς τοὺς ἐν τῷ ἄστει reposuit. At quod eiusdem pag. 39. ἐνδεεῖς mutabat in ἐν δεινοῖς (poterat etiam ἐν δέει), id nolui ei concedere. Nam ad ἐνδεεῖς e. v. ἐπεμελήθημεν cogitatione supplendum esse ἐπιμελείας. Eundem Franzium audaciae accusavi, quod p. 215. §. 48. v. ἀπαθὴς τούτων τῶν κακῶν γενόμενος εἰς τὴν σωτηρίαν τῇ πατρίδι tentasset; nam ἀπαθὴς γενόμενος idem esse, quod οὐ μετεσχηκώς.

His ego reprehensionibus aliam adieci, quae non ad unum aliquem huius orat. locum pertineret, sed de universa eius impugnaret iudicium. Contendebat enim, non habitam esse orationem, sed tantummodo scriptam (conf. Franz. edit. p. 279. ad §. 4. adnotata). Prome, inquam, argumenta tua. — Persuasit id mihi, inquit, nimia ista ac paene rudis dicendi negligentia,

quam licet in quavis pagina huius orationis deprehendere. — Tum ego: Vereor, inquam, magnopere, ne oratori vitio vertas, quod operarum incuriae tribuendum sit. Sed fac Lysiam in culpa esse, num eum existimas orationem, auditorum corona indignam, litteris consignatam in volgus edidisse? Idque cum adversaria exstaret Andocidis oratio, viri dicendi laude eximii? — Quae cum ego, adstipulante Foertschio, dixissem, ad aliud ille confugiebat argumentum. Aiebat enim, e verbis εἰςῆλθεν εἰς τὸ Ἐλευσίνιον (p. 216. §. 52.) orationem non esse habitam colligi debere. Ad haec ego conticebam, manens, si quid forte Foertschius haberet. Ipse enim nihildum videbam. — Tandem: Ludificatur nos, inquit Foertschius; verum non impune ei erit, tenebras nobis offudisse. — Tum Franzius sic infit: Videmini mihi ignorare, viri optimi, si acta est haec caussa, actam esse in Eleusinio, mense Boedromione, postridie Mysteria, quo die pariter et loco Solo quaestionem haberi voluit, referente Rege, de eis, qui in proximis religionibus aliquid peccavissent. — Rursus factum est silentium. Sperabamus enim, additurum esse Franzium, quo appareret, quid ista sibi vellent. At nihil tale auditum est. Itaque primus Foertschius sic eum adortus est: Num credis, inquit, ipsum oratorem, cum haud dubie hanc orationem habitam esse videri vellet, dixisse, quo non habitam appareret? — Fr. — Nempe excidit invito. — Invito igitur, inquit Foertsch., etiam Andocidi idem usu venit, qui cum alibi, tum p. 115. §. 110. eodem modo locutus sit. Verum ut iam exciderit; quid obsecro lucraris? Quid enim obstat, quin et acta haec caussa in Eleusinio sit, et alio tempore idem Eleusinium adierit Andocides? An solo eo die illud patuisse opinaris? — Fr. — Non ii sumus, quos tu existimas. Verum sic collige mecum: Si in Eleusinio caussa acta esset, non sic nominasset Eleusinium, ut nullo additamento significaret, eo ipso in loco iam se iudicesque versari; quale est τοῦτο τὸ Ἐλευσίνιον vel aliud huius generis. — Dum ita Foertschius cum Franzio disputat, Andocideam ego orationem evolvo, p. 115. §. 110. seqq. et p. 118. p. 21. Ita instructus Foertschio suppetias tuli. Noli, inquam, manibus cum mittere. Nihil enim tam certum ëst, quam neque in Eleusinio, neque postridie Mysteria caussam hanc actam esse, aut agi potuisse. Erat sane lege Solonis

sanctum, ut postridie Mysteria Senatus in Eleusinio haberetur, ad eum autem Rex referret, si quis festi religionem violasset. Eodem plane modo postridie Pandia in Bacchi templo populi concilium fiebat, quo Prytanes primum de rebus divinis cum populo agerent, deinde de probolis contra eos institutis, qui Bacchanalium sanctitatem contempsissent (vid. Dem. orat. in Mid. p. 517. Reisk.). Cave vero tibi persuadeas, postridie Mysteria iudicium de Andocide fieri potuisse; non magis, quam de Midia postridie Pandia; aut Senatum illum, in Eleusinio congregatum, potuisse cognoscere de Andocidis caussa, quae erat capitalis, quamque Heliastico iudicio disceptari oportebat. Nam Senatus iurisdictio D drachmarum multa finita erat. Penes eundem, si nihil rei infitiabantur, aut res manifesta erat, poena legibus constituta eos afficiendi potestas erat; controversa Heliastico erant iudicio tradenda. Nec ullum aut in Lysiae aut Andocidis oratione indicium reperies, iudices nunc esse Senatum D virorum. — Eam ipsam ob caussam, inquit Foertschius, Calliam suspicor ἱκετηρίαν illam subornasse, ut indicta caussa Andocides Senatus auctoritate necaretur. — Tunc ego: Num quid vis Franzi? — Ille vero, non magnum est, inquit, unum a duobus superari. — Qua ratione cum Franzius cessisset nobis, evolvimus orat. περὶ τοῦ σηκοῦ. Et primum quidem p. 220. §. 16. pro optativo εἰδείην — ᾔδειν rescribendum esse monui; deinde sodales rogavi, ut proximam §. animo adtentissimo perlegerent, nam videri mihi ratiocinationem oratoris parum constare. Iusserunt me indicare, quid in isto loco mihi displiceret. Quod feci hoc modo: Offendunt me, inquam, v. ἵν' εἴ τις αὐτοὺς αἰτιῷτο εἶχον ἀνενεγκεῖν ὅτῳ παρέδοσαν, quae ut ab interpolatore profecta eiicienda esse censeo. Nam oratorem sic argumentari apparet: Cum nulla esset huius caussae praescriptio, omnium, quicunque agrum illum coluere, pariter intererat, stirpem servari. Quibus cum addita verba „ut si quis eos accusaret, culpam in eum conferre possent, cui tradidissent" adversa fronte pugnant. Nam si periculo exemptus erat, quicunque salvam successori tradiderat, non omnium pariter intererat. — Tum Franzius: Tune igitur negas, a periculo vacasse, qui stirpem salvam successori tradidissent? — Minime vero, inquam, sed illud dico, ratiocinationem, quae more oratorum subtilior quam verior

est, istud additamentum excludere. At vir optime, inquit Foertschius, tu quidem ita locum intelligis, quasi perpetuo omnium interfuerit, qui agrum coluere, salvam esse illam stirpem; at vide, ne hoc dicat orator: Quo tempore quique agrum colebant, intererat eorum; omnium igitur deinceps interfuit. — Hoc si voluisset, inquam, scripsisset, opinor, non *τοῖς εἰργασμένοις*, sed *τοῖς ἐργαζομένοις*. — Foertsch. — Planius illud quidem; at necessarium non erat; nam quo tempore loquitur orator, sunt *εἰργασμένοι*. — Ferrem, inquam, quamvis aegre, istam tuam rationem, si non praemissa essent v. *οὐδεμιᾶς προθεσμίας οὔσης τοῦ κινδύνου*, quae quam vim habent, si eo die periculum ipsorum finiebatur, quo salvam oleae stirpem alii tradidissent? — Tum Foertschius: Est fortasse, quod iam tibi concedo, paullo negligentius locutus orator. Sed ideo corrigenda esse eius verba, nunquam mihi persuadebis. — Nec mihi, inquit Franzius; addens, num quid vis? — Poenitebat me tunc Franzium vellicasse, nec immeritas videbar poenas dare, quod ultro eum lusissem. Itaque, ne mihi irascaris, inquam, Franzi, si quid forte dixi ingratum tibi; saepe enim indulgentia tua opus mihi erit. — Et impensius eum laudabam, quod p. 221. §. 20. *ἀπέλιπες* mutasset in *ὑπέλιπες*, donec intellexi plane eum in gratiam mecum redisse. Nam difficile est, cum morosis disputare.

Quae cum ita essent acta, Quid est, inquam, viri optimi, quod neuter vestrum p. 223. §. 29. v. *ἀπογράψαι με ἐγγὺς μορίαν* inepta esse animadvertit? Nam *ἐγγύς* eiiciendum esse, quovis periculo contendo. Et videor etiam originem corruptelae invenisse. Nam in libro O Bekkeri scriptum est *γεωργὸς οὐδείς* pro *γεωργῶν ἐγγύς*. Unde suspicor, in vetere quodam exemplo prius illud *ἐγγύς* ambiguis litterarum ductibus obscuratum fuisse, quod ne perperam legeretur, distinctioribus id litteris ad marginem quempiam adlevisse. Inde in sedem alienam se insinuasse. — Haec ratio non displicebat sodalibus. At quod dicebam p. 224. §. 37. *προσῆκεν* pro *προσήκει* scribendum esse mihi videri, ampliarunt.

Nec acrior deinde orta est disputatio de p. 225. §. 40. *καὶ φανερῶς μὲν οὐδεὶς πώποτε ἐμὲ αὐτὸς ἐπεχείρησε ποιῆσαι κακὸν οὐδὲν, τοιούτους δὲ ἐπιπέμπουσί μοι.* Ibi *αὐτὸς* Reiskius de sua coniectura scripsit, cum in libris omnibus *αὐ-*

τόν repertum esset. Acquievistis, inquam, in Reiskiano commento; at claudicat oratio nutante inter duo vocabula oppositionis momento; aut enim *φανερῶς* aut *αὐτός* omittendum erat. Quapropter *αὐτόν*, quod sane nequit ferri, in *αὐτῶν* mutari malim.

Omnium Lysiae orationum corruptissima est octava, quae *πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν* inscribitur. Non est ea in iudicio habita, sed in coetu amicorum. — Quod primum, inquam, quempiam offenderit illud est, quod §. 1. haec dicit: *καίτοι πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας*. Nam intelligendi sunt haud dubie auditores, apud quos accusaturus est perfidos familiares. Verum adsunt ipsi quoque isti familiares. Igitur additamentum quis desideret, quo indicetur utros praesentium dicat, iudicesne an reos. At ea difficultas elevabitur, si perpenderimus, toto sermone oratorem ad reos (sic enim iam eos liceat appellare) se convertere. Id etiam in exordio facere videtur, quamvis tertia usus persona. Atqui si quis ad alteros conversus, alteros praesentes adpellat, is nullam ambiguitatem relinquit. — Aliud excogitaverat Franzius. Aiebat enim abesse *τοὺς ἀδικοῦντας* (reos); in his Diodorum. At tota oratione *τοὺς ἀδικοῦντας* compellari, et Diodorum quoque adesse (conf. §. 10.) mox non potuit, quin concederet.

Quae sequuntur *τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν* iure offensui fuerunt Reiskio. Is reponebat *προτιμήσειν*; aut id esse faciendum aiebam, aut, quod probabilius mihi videri, *τοὺς μὲν γὰρ παρ᾽ οὐδέν* rescribendum. Nam *παρ᾽* ob antecedentis vocis similitudinem facile omitti potuisse. — Aliquanto gravius est eorum verborum volnus, quae leguntur in initio §. 4. *καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν*. E §. 9. colligitur, hominem quendam, quem significat, non nominat, ad oratorem detulisse, quam perfide ii, quos pro amicis haberet, absenti ipsi obtrectarent et maledicerent. Eum hominem in proxime praecedentibus in universum locutus per pluralem numerum notavit. — Iam primus exstitit Franzius, negans quidquam corrigi debere. Qui totius loci sententiam iussus explanare, mox haesitabat; ut patefieret, non magis eum, quam reliquos interpretes, quid sibi vellent ista verba, perspexisse. Foertschius vero sic locum emendare conabatur (conf.

Comment. Crit. p. 5.): *καὶ τί οὕτως ἐνοχλεῖτε, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο ὁ δεῖνα ἐμοῦ κήδεσθαι, ἢ καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν;* ita haec interpretatus: „Et quid vos tantas fecistis facitisque turbas (atrocibus, quibus me insectamini verbis), ut quidam pluris faceret mei curam gerere, quam etiam magis (id quod futurum esse e gliscente paullatim collegarum petulantia praevidebat) me incusare atque infamare." — Quae confitebar haud male excogitata esse, sed non apta tamen omni ex parte. Etenim, inquam, non est haec rei adcommodata comparatio „pluris fecit mei curam gerere, quam magis etiam me infamare," quod ita demum dici poterat, si ei optabilis erat oratoris ignominia. Quod si ita erat, quo maiore studio et atrocioribus verbis isti obtrectabant, eo minus caussae erat homini, cur Lysiae rem indicaret. Igitur inepte dixisset *οὕτως — ὥστε.* Porro hoc etiam in tua ratione reprehendo. Demonstrant proxima, hanc verbis sententiam inesse debere: „Rem mihi indicavit." Quae non inest satis expressa verbis ad tuam voluntatem mutatis. Nam *περὶ πλείονος ἐποιήσατο κήδεσθαι ἐμοῦ, ἢ καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν* de eo quoque dici poterant, qui taceret, quae audisset, nec latius disseminaret calumnias. Denique in v. *κατειπεῖν* haereo, quod apud Lysiam saepissime usurpatum, nusquam est infamare aliquem, sed deferre indicium (conf. p. 274. §. 60. p. 333. §. 21. alibi.). Itaque vix dubito, quin postrema verba sic scribenda sint: *καὶ* (hoc enim optimorum librorum auctoritas firmat) *μᾶλλον ἐμοὶ κατεῖπεν* „et potius ad me detulit indicium." De prioribus autem ita statuo. Primum recte tu mihi videris subiectum v. *ἐποιήσατο* desiderasse. Ad quod *δοκεῖν* eam ob caussam mutasti in *ὁ δεῖνα,* non mihi persuasisti. Neque enim ubique *δοκεῖν* ita usurpatur, ut opponatur rei et veritati, sed etiam cum est id, quod videtur esse. Erant potius Cod. D (sic enim notatur a Bekkero) vestigia sequenda, in quo est a prima manu *καὶ τοιοῦτος,* i. e. syllabis rectius dispositis, *καίτοι οὗτος.* Reliqua sic scribenda puto: *καίτοι οὗτος, ὃν ἐνοχλεῖν ᾤεσθε, περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι* cett. „Quamquam hic, quem molestum mihi esse, et nocere opinabamini (id enim calumniando assecuti esse videbantur), pluris fecit mihi consulere videri, et potius rem mihi aperuit. *ἐνοχλεῖν* dixit, non *ἐνοχλήσειν,* quoniam istis igna-

ris indicium ille detulerat, ut cum maxime nocere eum et molestum esse actori putarent. Facile vero apparet, quam apte *ἐνοχλεῖν* et *κήδεσθαι* inter se opponantur.

Post haec Franzius eiusdem §. 4. verba *οὐδ' ἂν ὑμῖν ἐπικαλῶν, ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ ταῦτα δόξαιμι* — ita sanare conabatur, ut post *δόξαιμι* interponeret *τὰ δέοντα ποιεῖν.* Sed ei oblocuti sumus, et reprehendimus eum, quod saepius quam opus esset, lacunas sibi videretur detexisse. Sicut hic locus, inquam, nullo negotio sic integrari potest: *ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ, ταὐτὰ λέξαιμι.* Praeterea, qui pro *ὅτι* mallet scribi *ὅ τι*, inventus est. At parum interesse, inter nos convenit.

Iam ventum est ad p. 227. §. 8. *καὶ ταῦτα δ', ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους ἔλεγεν, οὓς ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν. κἀνταῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι, εἰ περιήλθετε πάντες ὑμῶν αὐτῶν κατηγοροῦντες, ὅτι πονηροῖς ἑκόντες ὁμιλεῖτε.* Franz. — Pessime locus corruptus est. — Foertsch. — Immo desperatus. — Franz. — Bono animo esto. Scribe pro *τελευταίους* — *ἐπιτηδείους* et desine desperare. Nam si in proximis lacunam, quae est inter *καλόν* et *εἶναι*, sic expleveris: *καλὸν ἐδόκει ὑμῖν εἶναι*, nihil deerit ad integritatem sententiae. — Rogavimus eum, ut explicaret nobis locum isto modo constitutum. At cum neque quo *ἔλεγεν* referretur, indicare posset, neque quo nexu haec cum superioribus cohaererent, rursus animum despondemus. Tunc ego, medicorum, inquam morem imitemur, qui in morbis desperatis vel maxime periclitantur. Nam aegroti, parum interest, utrum e morbo an medicina moriantur. — Periclitere modo, inquit Foertschius. — Videndum igitur de nexu sententiarum. Exprobrat actor adversariis, quod non palam amicitiam sibi renuntiaverint. Nam nihil fuisse, cur ipse animum eorum sibi infensum esse suspicaretur; nulla enim re se istis inferiorem esse. Iam illa sequuntur, quae miserum in modum turbata esse, manifestum est. At vix alia in eis latere quam haec potest sententia: Nec apud eos, quos ista patefacturos mihi esse rebamini, sinistris sermonibus me insectati estis. Itaque sic fere scribendum esse videtur: *καὶ ταῦτα δ' οὐχὶ πρὸς τοὺς ἐπιτηδείους* (vel *ἀναγκαίους*) *ἐλέγετε, οὓς ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν. κἂν ταῦτα σόφισμα καλὸν εἶναι* cett. Ad infinitivum *εἶναι* v. *ᾤεσθε* cogitatione supplendum est. Talem sententiam in foe-

datis Lysiae verbis latere, facile mihi concessit Foertschius; ipsam auctoris manum coniectura me assecutum esse, nec ille concessit, nec ego contendi.

Tum Franzius morae impatiens: Quousque tandem aegrotum vestrum cruciabitis? Dicatis potius, num hac ipsa §. illud *εἰδότες* vobis placeat, quod post Reiskium et Bekkerum ego tertius inveni. Satis placere respondemus. Deinde excussimus §. 10. v. *πρῶτον μὲν ἅπαντα δι᾽ ὑμῶν πράξαντά με περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου προσῆγε μαχόμενον κάμνοντα τὸν ἵππον. ἀνάγειν με βουλόμενον Διόδωρος οὗτος ἀποτρέπειν ἐπειρᾶτο,* — Quae hoc modo Franzius integrasse sibi videbatur: *πρῶτον μὲν ἅπαντα δι᾽ ὑμῶν πράξαντά με περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου οὑτωσὶ ἐξηπάτησεν· προσῆγε μαχόμενον κάμνοντα τὸν ἵππον, ὃν ἀνάγειν με βουλόμενον Διόδωρος οὗτος ἀποτρέπειν ἐπειρᾶτο.* Tum ego: Multa, inquam, in rerum natura fiunt incredibilia; itaque non praefracte negabo, Lysiae, alioqui scriptori elegantissimo, aliquando accidisse, ut inepta loqueretur. Eo si tu argumento pugnas, concedo tibi, sic ab eo scribi potuisse. — Quod ille aegre ferens, benigne, inquit, mediusfidius; sed ista benignitate nihil mihi opus est. — At vero, inquam, mirificum est, si qui tanta, quanta tu, mutandi licentia grassatus, tamen nihil, quod tolerari possit, effecit. Nam quo refertur *προσῆγε*? Certe non ad Diodorum, ut proxime sequentia demonstrant. Porro ineptum illud *μαχόμενον* quam vim habet? Denique *ὃν* istud, post *ἵππον* a te interpositum, haud dubie corrumpit orationem. Nam breves illae enunciationes, nulla copula inter se nexae, aptissimae sunt. At ne dicas me *ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς* tecum pugnare, tentata emendatione in aequum descendam. Et primum quidem participium *πράξαντά με*, quoniam pendet, vide ne in *πρᾶξαί με τά* — mutandum sit, ut infinitivus pro appositione v. *ἐκεῖνα* sit. Unde vulgata scriptura, transposita syllaba *τα*, facillime nasci potuit. In v. *μαχόμενον* vero haud dubie nomen proprium latitat, *Μάχων* vel *Ἡγέμαχος*, si id Graecum nomen fuit.

Etiam de v. p. 228. §. 11. *καίτοι γε ἐφ᾽ ὧν γε αὐτῶν κατηγόρουν· εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον* — oblocutus sum Franzio, qui lacunae suspicioni hic quoque indulgebat. Mihi

quidem, inquam, leni admodum mutatione sic locus sanari posse videtur: *καίτοι γε, ἐφ' ᾧγε* (pro v. *ἐφ' ὧνγε*) *αὐτῶν κατηγόρουν· εἰ γὰρ ἄρα* (pro v. *εἰ γὰρ ἃ*) *μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον.* Sententia haec est: „Quamquam (quo nomine eos incusabam) si simul cum his iniuria affectus nihil habeam, quod eis exprobrarem, certe decebat eos me adiuvare." (Conf. §. 18.) Tota enim vis sententiae est in v. *μετὰ τούτων,* quibus significatur, non dolose egisse, sed et ipsos eos dolo circumventos. Particula *γάρ* vero interpositam et quasi parentheticam enunciationem *ἐφ' ᾧγε — κατηγόρουν* sic excipit, ut saepe subiicitur formulae *ὃ δὲ πάντων δεινότατον,* aliis. — Quam rationem non improbabat Foertschius. At tantum, inquit, de summa sententiae inter nos convenire putato. — Id lubens accepi, et in medium protuli alias quasdam loci emendationes, quae sententiam praeberent eandem; sicut *εἰ γὰρ ἅτε* (pro *εἰ γὰρ ἃ*); vel *εἰ γὰρ ἅμα καὶ* (pro *ἃ μετά*) *τούτων ἀδικουμένων* (pro *ἀδικουμένῳ*) *μοι μηδὲν ἦν* cett.; vel *εἴπερ ἄρα.* Horum omnium eligendi optionem ei feci. — Tum Foertsch. — Non ineptae sunt, inquit, istae tuae coniecturae. At quo plura huius generis attuleris, eo minus singulis fidei erit. Attamen scito, *εἰ γὰρ ἄρα* reliquis me praeferre. — Itaque, inquam ego, donec Franzius vel alius quis meliora invenerit, ita locum constituamus.

At quid proximis verbis faciendum esse censetis? An haec sana esse vobis persuadebitis: *καὶ ἐγὼ μὲν ᾤμην φιλοσοφοῦντας αὐτοὺς περὶ τοῦ πράγματος ἀντιλέγειν τὸν ἐναντίον λόγον· οἱ δ' ἄρα οὐκ ἀντέλεγον ἀλλ' ἀντέπραττον, καὶ διὰ τοῦτο ἀντέπραττον, ἵνα τὸν ἐμὸν λόγον εἰδείη Πολυκλῆς?* Satis enim apparet, nulla alia de caussa illud *ἀντιλέγειν* dictum esse *ἀντιπράττειν,* nisi quod eo consilio oblocuti erant, ut adversario argumenta proderent, quibus ipse caussam suam defensurus esset. Itaque aut inepte oratorem locutum esse fatebimur, aut pro secundo illo *ἀντέπραττον* rescribendum esse *ἀντέλεγον.* — At nonne ista tua emendatio, inquit Foertschius, *διὰ τοῦτο γάρ* potius, quam *καὶ διὰ τοῦτο* desiderat? — Ut ego non improbarem, inquam, si sic scripsisset Lysias, ita istud nego necessarium fuisse; modo deleatur plenior interpunctio, quae in Bekkerianis exemplis p. *καὶ* ab

antecedentibus seiungit. Continet enim haec enunciatio proximorum verborum explicationem, quales enunciationes quoties per particulam *καὶ* cum antecedentibus copulentur, profecto non ignoras. Idcirco fuerunt, qui explicandi vim huic particulae inesse vellent.

Perventum est ad §. 13., ubi haec leguntur: *φέρε γὰρ ᾔδει ποτ' ἐκεῖνος ὅτι Κλειτοδίκου δεηθεὶς ἐκλέγειν οὐκ ἔτυχον. οὐ γὰρ δὴ παρῆν τούτοις. ἐπεὶ κέρδος ἦν αὐτῷ διαβάλλειν ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς οὕτω προθύμως, ὥστε σπουδάσαι πρὸς τοὺς ἐμοὺς ἀναγκαίους πλάσασθαι ταῦτα.* Nam pollicebar, sic me oratoris verba emendaturum esse, ut vel fastidiosis satisfieret. Et primum quidem, inquam, de nexu sententiarum inter nos conveniat necesse est. Nonne id agit orator, ut aliquot argumentis eorum veritatem ostendat, quae ab homine illo, cuius nomen tacere maluit, ad ipsum delata erant? Eius autem opera certior factus erat, gloriatos esse perfidos istos familiares, quod aliquos ad caussam ipsius in iudicio defendendam paratos retinuissent. Quod cur dubitari non debeat, iam duobus indiciis demonstrat, priore hoc: *φέρε γὰρ ᾔδει ποτ' ἐκεῖνος* (delator ille), *ὅτι Κλειτοδίκου δεηθεὶς ἐκλέγειν οὐκ ἔτυχον;* in quibus nihil est difficultatis, nisi quod *ἐκλέγειν* ferri nequit. Nam sententia poscit *ἐπιλέγειν*, epilogum dicere; *ἐκεῖνος* vero, quod Reiskius in *ἐκεῖνο* mutatum ibat, non erat sollicitandum. Dicit enim hoc: „Cedo, poteratne ille scire, Clitodicum a me rogatum, ut epilogum diceret, recusasse? Neque enim ipse, cum ea acta sunt, adfuit. Apparet igitur vos talia cum eo locutos esse." — Ergone, inquit Foertschius, interrogandi signum post *ἔτυχον* collocas? — Etiam, vir amicissime. — Tum Foertschius rationem illam per se, ait, sibi non displicere. At proxima, in quibus caussam antecedentium inesse debere, obstare, quominus mecum faceret. — Istud quidem obstaculum, inquam, nullo negotio sustulerimus. Nam v. *ἐπεί*, nec quid aliud, illas turbas movit. At non ita scripsit Lysias, sed *ἢ τί*, et interrogandi signum ponendum est p. *ταῦτα*. Nam alterum iam argumentum affert, cur illius hominis indicio fides habenda sit. Iam vero meministi, non ad ipsum actorem illud indicium delatum esse, sed ad eius necessarios (conf. §. 9. *ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐμοὶ χαριζόμενος ἀπήγγειλε τοῖς ἐμοῖς ἀναγκαίοις*). Haec igitur horum verborum

sententia est: „Aut quid tantopere eius intererat, tam studiose me vobis infensum reddere (*διαβάλλειν*), ut illa apud necessarios meos dedita opera ementiretur?" — Quibus dictis monuit Foertschius, in libris M. S. omnibus praeter Cod. C post *ἐξελέγχειν* vocem *ὅτι* repertam esse. Eam rectius a Reiskio in *ἔτι* mutatam esse aiebam, quam ab interpolatore Cod. C omissam. — Proximae vero §. v. *νῦν ἤδη καὶ πάλαι* Franzius improbabat et Lobeckio obtemperans *νῦν τε καὶ π.* scribi volebat; cui lubens ego adstipulabar, nisi quod *νῦν τε δὴ καὶ π.* propius a vero abesse existimabam.

Supererat unus huius orat. locus, in quo ipsa scripturae diversitas depravationis indicium praebebat, p. 229. §. 16. *χρῆν μὲν οὖν τότε με γιγνώσκειν ὀφειλόμενόν μοι ταῦτα παθεῖν, ὅτε καὶ πρὸς ἐμὲ περὶ ὑμῶν αὐτῶν ἐλέγετε κακῶς· ἔπειτα καὶ περὶ Πολυκλέους, ᾧ νυνὶ βοηθεῖτε πάντες εἴρηκα πρὸς ὑμᾶς. κατὰ τί δὴ ταῦτα [οὐκ] ἐφυλαττόμην.* Pro v. *πάντες* Bekkerus e libro C enotavit *πάντα γὰρ ἄν*; e libro O *πάντ'* — *οὐκ* autem, quod uncis Bekkerus inclusit, cum abesset a libris M. S., de suo Reiskius interposuit. Praeterea *ὅτε* unus habet Cod. C; *ἔλεγε* multi Codd. pro *ἐλέγετε*. Nonne vobis, inquam, viri optimi, admodum turbata haec verba esse videntur? Nam ne illud quidem negligendum est, quod in Cod. O post v. *παθεῖν* leguntur v. *κατὰ τί δὴ ταῦτα*, quae haud dubie nata sunt e dittographia eorum verborum, unde §. 17. infit. Pronum est igitur suspicari, in vetusto illo exemplo, unde Codd., quotquot nunc exstant, ad unum omnes manarunt, litteras quasdam male exaratas, aut obscuratas temporum iniuria ab aliis aliter lectas esse. Iam cum Cod. C propius a vetere illo exemplo, quam reliqui libri abesse videatur, *πάντα γὰρ ἄν* veram scripturam esse mihi persuadeo, atque hinc ad reliqua invenienda proficiscendum esse. — Tum Franzius: Vide, inquit, quam parum ipse tibi constes; modo laudas, modo reprehendis Cod. C, et iam aut fallor aut lacunam ipse odoraris, quo nomine saepe tu me vituperasti. — Non ignoras, inquam, Franzi, sic esse in proverbio, ut praecedenti tergo spectetur mantica. At tamen, si mihi quoque per te licebit lacunas reperire, modeste me venia tua usurum esse, sat scito. Quod vero inconstantiam mihi exprobrasti, expostulabo tecum. Nam Cod. C praestantiam nemo me lubentior

agnoscet, ubicunque vacat ab interpolationis suspicione. Atqui hic quidem videtur vacare. An tu censes ullum mortalem, Graeci sermonis gnarum, *πάντα γὰρ ἂν εἴρηκα* de suo ingenio scribere animum induxisse? — Mittamus istas ambages, inquit Franzius. Ede, qua ratione locum corrigi velis. — Itaque dixi, *πάντα γὰρ ἂν ἀπειρήκειν τὰ πρὸς ὑμᾶς* scribendum mihi videri „omnem enim vobis consuetudinem renunciassem." Nam *πάντα τὰ πρὸς ὑμᾶς ἀπειπεῖν* idem esse, quod §. 6. *ὁμιλίαν ἀπειπεῖν*. Vides igitur, inquam, Franzi, aliquot me litterarum defectu esse defunctum; nec tantum mihi sumpsissem, si de verbo *αἴρειν* mihi constaret. Dubito enim, an recte dicatur *πάντα γὰρ ἂν ἦρα τὰ πρὸς ὑμᾶς* „omne vobiscum commercium sustulissem." At nihil inveni, nisi *αἴρεσθαι συνθήκας*, tollere pacta, bis in testamento Stratonis apud Diog. Laert. I. p. 357. et 358. Hub. — In proximis vero negationem ante *ἐφυλαττόμην* vere Reiskium addidisse existimo.

Quoniam diutius quam pro temporis ratione in hac orat. versati eramus, iam convenit, ut non de quolibet corrupto suspectove loco fanda et nefanda effutiremus, sed teneremus modum. Nihilo minus tamen negavi silentio me praetermissurum, quae p. 231. §. 7. leguntur in ea oratione, quae perperam „De emerito" inscribi solet: *οἱ δὲ ταμίαι οὐδὲν ὅμοιον τοῖςδε διανοηθέντες, ἀνακαλεσάμενοι δὲ τοὺς παρόντας καὶ τὴν γραφὴν ἐσκοποῦντο τῆς αἰτίας τὴν πρόφασιν*. Franzius vero, memor sis, inquit, pactorum, nam nihil hic difficultatis est; etsi non nego, *ἀνακαλεσάμενοι* insolentius ad *γραφὴν* relatum esse (conf. Franz. edit. p. 260.). — Plus illud, quam insolens est, vir optime. Neque enim fabellas narrat, ut liceat ei auritas facere tabulas et pedibus instructas. Verum ad zeugma provocas; scio enim, quid sis dicturus. At hoc mihi expone, vir optime; aliumne in locum actoris adversarios citatos esse a Quaestoribus existimes, quam quo tabulae quaestoriae asservarentur, in acropolin? Illud autem *λεύκωμα* iam traditum erat Quaestoribus. Itaque non opus erat, ut asportaretur. At hoc etiam tibi largior, ne ineptus esse videar. Verum illud me fateor non intelligere, cur Athenienses homines mente captos ea tempestate ad Quaesturam admiserint. — *Παίζεις ἔχων*, inquit Franzius. At quorsum dementia ista? — Nonne, inquam, insani sunt, qui in acropolin

citari iubent praesentes (*τοὺς παρόντας ἀνακαλοῦνται*)? Ut verbo dicam, scripsit Lysias *ἀνακαλεσάμενοι τοὺς παραδόντας τὴν γραφήν*. — Eiusd. orat. §. 11. seqq. haec vulgantur: *εἰ δ' οὖν ἐζημίωσαν μὲν οἴδε προσηκόντως, ἐκύρωσαν δ' ἐν ὑμῖν τὴν ἐπιβολὴν, τῶν ταμιῶν ἀφέντων εἰκότως ἂν τοῦ ἐγκλήματος ἀπηλλαγμένοι εἶεν. εἰ μὲν γὰρ κύριοι ἦσαν πράξασθαι ἢ ἀφεῖναι, ἐννόμως ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον· εἰ δ' ἔξεστι μὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι, διδόασι δ' αὐτοῖς ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσιν, εἴ τι ἠδικήκασι τῆς προσηκούσης ῥαδίως δίκης τεύξονται.* Haec, etsi miserum in modum turbata, certa tamen ratione restitui posse aiebam. Et mirabar, quod et Andreas Schottus et Reiskius et Franzius aliquam veri partem dispexerint; totius loci ratio omnes latuerit. Id ita sodalibus persuadere conatus sum: Si usitatam *εἰ δ' οὖν* hic quoque significationem habet, adversariis conceditur aliquid antecedentibus contrarium. Quod aut hoc est, aut non constat oratoris ratiocinatio: „Etiamsi vero iure multam mihi dixissent, eamque confirmassent iudicum suffragio, tamen ea remissa a Quaestoribus, nexo equidem liberarer." Scribendum est igitur *ἀπηλλαγμένος εἴην*, ut supra §. 8. *ἡγούμενος ἀπηλλάχθαι τοῦ ἐγκλήματος*. Nam nulla ratione haec ad adversarios posse referri, optativus declarat. Dixisset enim *ἀπηλλαγμένοι ἦτε*. Etenim si v. *εἰ* cum indicativo temporis historici copulatam excipit optativus cum p. *ἄν*, res indicatur per se vera, at condicioni, quae non est, subiecta. Igitur, si scripsisset *ἀπηλλαγμένοι εἶεν*, absolveret crimine adversarios. Contra admissa nostra emendatione, cuius iam Schotto in mentem venit, recte locutus fuerit; ipse enim se nexo solutum contendit. Porro non omnino id agitur, ut adversarii aliquo nexo solvantur, sed ipse utrum solvatur nec ne, hoc quaeritur. — Haec non poterant sodales, quin concederent. Itaque sic perrexi: Proxima, inquam, ut antea locus intelligebatur, vel potius non intelligebatur, ad adversarios actoris spectare videbantur. Quod neutiquam fieri posse, etiamsi nulla antecedentium, quorum haec argumentum continere debent, ratio habeatur, manifestum est. Adversarii enim neque remittere poterant, neque exigere multam, neque de suo arbitratu (*κύριοι*) neque ullo alio pacto, postquam magistratu abierunt. Omnino autem non id quaeritur, num istis multam remittere licuerit (*εἰ δ' ἔξεστι μὲν αὐ-*

τοῖς ἀφεῖναι), de quo ne cogitare quidem adversarios credibile erat. Porro v. *τῆς προσηκούσης ῥαδίως δίκης τεύξονται* non cadunt in adversarios. Qui enim istos facile poenam daturos esse, affirmare potest, a quorum criminibus aegre, ut ipse passim queritur, innocentiam suam defenderet? Immo de Quaestoribus (*ταμίαις*) hoc loco dicitur. Horum erat multam aut remittere aut exigere, quod cum aliunde tum ex hac oratione satis constat. — Atqui antecedentium rationem haec verba necesse est contineant. Eam argumentationem quomodo instituerit orator, et res ipsa docet, et verae scripturae significant reliquiae. Dicendum erat procul dubio: „Quaestores enim sive *κύριοι* erant, sive non erant, ego nexo solutus sum." Apparet igitur, sic scripsisse oratorem: *οὐδ' ἐννόμως ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον.* — Restat, ut vitio liberentur v. *διδόασι δ' αὐτοῖς ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσι.* Si quidquam aliud, certum est, *διδόασι δ' εὐθύνας*, non *αὐτοῖς* reliquisse Lysiam. Quid enim magistratui *κυρίῳ* opponitur? Nimirum *ὑπεύθυνος*. Quoniam vero nullus Athenis magistratus, nisi reddendae rationi obnoxius (*ὑπεύθυνος*) creabatur, dicit *εἰ ἦσαν κύριοι*, quo significatur, non fuisse penes eos summam remittendi potestatem (*τὸ κῦρος*); in altera autem sententiae parte *εἰ διδόασι*, inquit, *εὐθύνας*, quoniam erat eis ratio reddenda. Hoc ipsum brevius indicant superiora v. *τὸν παρ' ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκριναν.* — Hanc quoque emendationem, quam pridem invenit Reiskius, necessariam esse convenit. Totum igitur locum sic constituimus: — *ἐπιβολήν, τῶν ταμιῶν ἀφέντων εἰκότως ἂν τοῦ ἐγκλήματος ἀπηλλαγμένος εἴην. εἰ μὲν γὰρ κύριοι ἦσαν πράξασθαι ἢ ἀφεῖναι, οὐδ' ἐννόμως ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον· εἰ δ' ἔξεστι μὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι, διδόασι δ' εὐθύνας ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσιν, εἴ τι ἠδικήκασι τῆς προσηκούσης ῥαδίως δίκης τεύξονται.*

Ventum est ad p. 233. §. 15. *ὀμόσαντες μὲν οὖν ἐξήλασαν* seqq. — In his primum ego reprehendebam v. *ζημιώσαντες μὲν οὖν ὡς τὴν ἀρχὴν λοιδοροῦντα, κατολιγωρήσαντες δὲ τοῦ δικαίου βιαζόμενοι βλάπτειν ἐξ ἅπαντος τοῦ λόγου.* Nam videbantur mihi sententiae non recte dispositae esse, cum eo ipso, quod eum mulctaverant, ius violassent; rectioremque aiebam hanc earum descriptionem fore: — *λοιδοροῦντα κατολιγωρήσαντες τοῦ δικαίου, βιαζόμενοι δὲ βλά-*

πτειν cett. — Deinde in proximis v. πᾶν ἂν ἔπραξαν μέλλοντες μεγάλα μὲν ἐμὲ βλάψειν, πολλὰ δ' ἑαυτοὺς ὠφελήσειν, οἵτινες οὐδετέρου τούτων ὑπάρχοντος πάντα περὶ ἐλάττονος ποιοῦνται τοῦ δικαίου — Franzius particulam aliquam desiderabat, γάρ vel δέ. Cui concessi, asyndeton ab hoc loco alienum esse. At non debebas, inquam, particulam γάρ commendare, quae hic quidem nequit ferri. — In proximis autem valde mirabar, quod v. πάντα περὶ ἐλάττονος ποιοῦνται τοῦ δικαίου Franzius Reiskium secutus defensitaret. Is enim hanc eorum verborum sententiam esse statuit: „Qui sanctimoniam affectant, ubi non agitur de noxa mihi danda, aut de emolumento sibi quaerendo." Non tam Reiskium, inquam, reprehendo, quam te, vir doctissime. Reiskius enim ignorabat Cod. C scripturam πᾶν ἂν (in reliquis πᾶν est sine illa particula); tu vero et noveras eam, et iure recipiendam iudicasti. Num igitur usitatissimum te fugit apud oratores genus ratiocinandi, cuius ipse tu modo exemplum afferebas? Attulerat autem, quo particulam post ἂν excidisse ostenderet, orat. in Erat. p. 259. §. 84. πᾶν δ' ἂν μοι τολμῆσαι δοκεῖ, ὅστις νυνὶ οὐχ ἑτέρων ὄντων τῶν δικαστῶν seqq. Dicit enim hoc „Qui in re minore tam iniusti sunt, quid fecissent, si res maior incidisset?" — Sumis haec, inquit Franzius, minime concessa. Nihildum enim affers, unde Reiskianam rationem falsam esse colligi possit. — At ipsa per se, inquam, ista sententia incommoda est. Exspectamus enim in v. οἵτινες seqq. aliquid, quo praemissa sententia stabiliatur, undeque appareat, nihil eos non fuisse facturos, si aut damnum magnum actori inferre, aut magnum emolumentum adipisci potuissent. Nunc vero istis verbis plane contrarium continetur. Nam qui plerumque iustitiae laudem affectant, in hac etiam caussa id facere credibilius est, quam non facere. — Quibus dictis cum nondum me Franzio persuasisse intelligerem, alia argumenta circumspiciebam. Num tibi, inquam, illud quod tu vis, decorum esse hominum istorum personis videtur? Ceteroquin enim insolentiae nomine ab actore notatur, ut §. 18. ἐπικρύψασθαι, inquit, τὴν ἀδικίαν περὶ οὐδενὸς ἐποιήσαντο; et ibidem: τοῖς μὲν ἐμοῖς ἐπιτηδεύμασιν οὐ προσηκούσας διαβολὰς ἐπιφέροντες, τοῖς δ' αὐτῶν τρόποις τὰς οἰκείας καὶ συνήθεις. Talia non simulatorum sunt, sed potius fero-

cium et insolentium hominum, qui quid alii de ipsis sentiant, nihil curent. — At quid mussitas Franzi? Nondum acquiescis? Vide ne hoc tibi negotium incutiat. Aio enim, tuam istam et Reiskianam loci interpretationem flagitare *μηδετέρου* (non *οὐδετέρου*) *τούτων ὑπάρχοντος*, et vehementer te errasse, qui Schotti et Marklandi sententias eo ipso argumento impugnaveris, quod tum *μηδετέρου*, non *οὐδετέρου*, scribendum fuisset. — Hac demum evidentia victus de sententia sua decessit Franzius. At qua ratione corrupta Lysiae v. corrigenda essent, parum inter nos convenit. Erat enim, cui Schotti inventum *πλείονος* (pro *ἐλάττονος*) placeret; erat cui *παντός* et *τὸ δίκαιον* ab eodem Schotto propositum; ego autem *τὰ δίκαια* (pro *τοῦ δικαίου*) reliquis praeferebam.

Nec proxima periodus a difficultate vacare mihi videbatur, Franzio non item. Num illud *εἰ*, inquit, offendit te, quod ante *κατεφρόνησαν* legitur? — Non magnopere, inquam ego; quamquam huius scripturae veritatem nolim praestare. At si ita scripsit Lysias, apodosis a v. *ἀλλ' οὕτως* incipiat necesse est. — Quid igitur aliud male te habet? — Haec, inquam, verba: *ἀλλ' οὕτως ὀλιγώρως καὶ παρανόμως προσηνέχθησαν, ὥστε ἀπολογήσασθαι μὲν περὶ τῶν πεπραγμένων οὐδ' ἐπεχείρησαν, τὸ δὲ τελευταῖον, νομίζοντες οὐχ ἱκανῶς με τετιμωρῆσθαι, τὸ πέρας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασαν.* — Num ea, inquit Franzius, quae in v. *τὸ τελευταῖον* et *τὸ πέρας* tautologia inesse videtur? — Cum haec, inquam, tum alia quaedam. — Itaque Franzius ad similia repetitionum exempla provocabat, sicut Lys. de bon. Arist. p. 310. §. 9., ubi v. *ἔτι* excipit *προσέτι* et Plat. Phileb. 32. D., ubi *ἐνίοτε* et *ἔστιν ὅτε* copulata sunt. Hac ratione a me id impetravit, ut concederem, non admodum raras esse oratorias eius modi repetitiones, quibus alicui notioni maior vis accedat. At huic loco, inquam, minus aptum videtur illud genus dicendi. Neque enim illa erat ultima iniuria. — Fugit te, inquit, oratoris artificium. — Tale, inquam, dicis artificium, quali nunc histriones et thaumatopoei et id genus homines ter aut quater postremum se in scenam prodituros esse profitentur. At nonne id tibi mirum esse videtur, quod adversarios ait ipsum urbe eiecisse; hoc vero, quod erat maximum haud dubie, obiter attingit? Porro qua ratione eum expulerunt? Et si erat ex-

pulsus, quomodo restitutus est patriae? Denique quod sequitur, *διατεθέντες*, nonne consilium potius inimicorum, quam re vera expulsum eum esse, indicare videtur? Vide igitur, ne *πέρας* in *μέρος* mutandum sit „quantum in ipsis erat." Saepius enim ea vi usurpatum est *τὸ μέρος* nullo addito possessivo pronomine (conf. Dem. de f. leg. p. 367. 5. Reisk.) Iam *τὸ μέρος ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασαν* eo videtur referri, quod magistratu abeuntes Quaestoribus nomen eius tradiderant (conf. §. 6.); qui si istis concessissent, ut debens aerario capitis deminutionem perpessus esset. Hoc vero si ei accidisset, haud dubie solum vertere, quam multam solvere maluisset (conf. §. 21.) — Hoc postremum addebam, veritus, ne v. *ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασαν* significare posse *ἀτιμίαν*, exemplis me comprobare cogerent, qualia mihi non erant in promptu. At ea cautione nihil profeci. Nam neque in obscuritate v. *ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασαν*, neque in copulatis v. *τὸ τελευταῖον* et *τὸ πέρας* satis caussae, cur damnaretur vulgata scriptura, inesse eis videbatur.

Perreximus ad orat. in Theomn. I. cuius in §. 9. p. 236. non potui non laudare Foertschii emendationem *οὐδέν σοι μέλειν* (legebatur *μέλει*); et p. 238. §. 21. *ἀκοῦσαι* (pro *ἀκούσαντα*), quamvis obnitente Franzio. Deinde disputatum est de v. *ἀναμνήσθητε δὲ ὅτι μεγάλην καὶ καλὴν ἐκείνην δωρεὰν αὐτῷ δεδώκατε· ἐν ᾗ τίς οὐκ ἂν ἐλεήσειε Διονύσιον*; In his *ἐν ᾗ* insolentius dictum esse mihi videbatur, et praestare *ἐν ᾧ*, quod ad totam, quae praecedit, enunciationem referretur. Est vero, inquam, huius coniecturae magna in eo confirmatio, quod omnes libri M. S. non *δωρεάν*, sed *δῶρον* habent. Nam cum librarius genuinum illud *ἐν ᾧ* relatum, ut ipsi videbatur, ad *δωρεάν* miraretur, adscripsit *δῶρον*, alius autem sic angustiis se expediebat, ut *ᾧ* mutaret in *ᾗ*; iam forte fortuna accidit, ut bis in verae scripturae locum librariorum commentum se insinuaret.

Orat. in Erat. p. 244. §. 6. haec leguntur: *Θέογνις γὰρ καὶ Πείσων ἔλεγον ἐν τοῖς τριάκοντα περὶ τῶν μετοίκων, ὡς εἶέν τινες τῇ πολιτείᾳ ἀχθόμενοι· καλλίστην οὖν εἶναι πρόφασιν τιμωρεῖσθαι μὲν δοκεῖν, τῷ δ' ἔργῳ χρηματίζεσθαι· πάντως δὲ, τὴν μὲν πόλιν γενέσθαι τὴν ἀρχὴν δεῖσθαι χρημάτων.* Postrema v. Franzius laborare censebat, et de more

suo aliquo verbo supplendo locum sanandum esse affirmabat. Ante *γενέσθαι* enim excidisse *ἀσθενῆ*; porro *τὴν δ' ἀρχὴν* legendum esse. Ac de corruptela quidem facile ei concessi. In eadem, inquam, sententia iam vetustus Cod. C interpolator fuit, qui *τὴν μὲν πόλιν* mutavit in *τὴν πολιτείαν*, ut aliquem certe sensum verbis extorqueret. Nam tale quid in eis latere existimabat: „Primum omnium opus esse pecunia ad instituendam oligarchiam." At et hanc coniecturam, et tuam, Franzi, a vero aberrasse mihi persuadeo. — Cur mala tibi videtur, inquit ille? — Quis malam eam dixit? Nihil equidem reprehendo, nisi quod idem, quod tu v. *ἀσθενῆ* addito voluisti, aliquanto minore molimine effici potest. Nisi forte tuum istud *ἀσθενῆ* aliud, quam pecuniae inopiam hic significare vis? — Nihil equidem aliud, inquit ille. — Itaque satius erat, inquam, *γενέσθαι* in *πένεσθαι* mutare, medela, opinor lenissima, quam pridem Schneiderum video huic loco adhibuisse (ad Xenoph. Hist. Graec. L. II., c. 3. §. 39).

Eiusdem orat. alium locum me confessus sum non satis intelligere, p. 253. §. 55. *τούτων τοίνυν Φείδων ὁ τῶν τριάκοντα γενόμενος καὶ Ἱπποκλῆς καὶ Ἐπιχάρης ὁ Λαμπρεὺς καὶ ἕτεροι οἱ δοκοῦντες εἶναι ἐναντιώτατοι Χαρικλεῖ καὶ Κριτίᾳ καὶ τῇ ἐκείνων ἑταιρείᾳ, ἐπειδὴ αὐτοὺς εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, πολὺ μείζω στάσιν καὶ πόλεμον ἐπὶ τοὺς ἐν Πειραιεῖ ἢ τοῖς ἐξ ἄστεος ἐποίησαν.* — Explicabo tibi, inquit Franzius, oratoris sententiam. Hoc enim dicit: „Multo graviores seditiones bellumque ciebant contra Piraeenses, quam quales oppidanis moverunt tum cum primum constituti essent (conf. Franz. edit. p. 268.)." Nec tibi constructionum diversitas negotium facessat. Aliam enim alia caussa flagitabat. — Sane, inquam, Franzi, hac ratione illa verba explicari posse videntur, alia ratione non posse. An, si hanc argumentis refutavero, alio confugies? — Ne vereare, confidenter Franzius. — Primum igitur, inquam, ad grammaticam rationem durior est tua interpretatio. Nam istud *πόλεμον καὶ στάσιν ἐπὶ τοὺς ἐν Πειραιεῖ ἐποίησαν* obscurius dictum est, quoniam e verbis ipsis non intelligitur, quibuscum eis, qui Piraeeum tenebant, discordia et bellum intercesserit. — Calumniaris, inquit Franzius, nam hominibus scripsit, non belluis Lysias. — Quali hominum generi, inquam, peritone historiae, an imperito? —

Quorsum hoc? inquit Franzius. — Si ea, inquam, quam tu vis, oratoris mens fuit, cur dixit *ἢ τοῖς ἐξ ἄστεος*, non *ἢ ἐπὶ τοὺς ἐν Ἐλευσῖνι?* Nam permirum est, quo tempore Xviri praeerant rei publicae, istam civium factionem *τοῖς ἐν ἄστει* adnumerari. Meministi enim e Xenophonte (L. II., c. 4. §. 23.), ut primum Xviri constituti sunt, Eleusinem concessisse, quicunque e XXX viris superstites erant. Neque vero bello ex urbe eiecti sunt, sed de salute sua solliciti sua sponte decessere. — Argutiora haec, inquit Franzius, quam veriora. — Pertinax es, inquam, et dicteria argumentis opponis. Iam precor te, ut animo adtento hoc audias postremum. Nonne totius loci haec est sententia: „Sperabatur tunc, cum Xviri constituti sunt, futurum, ut mox in gratiam redirent, qui Piraeeum et qui urbem tenebant?" Cui initio hoc continuari congruum est: „At e contrario maius *inter eos* bellum accenderunt." — Documento sunt etiam proxime sequentia. Nam ambitione et avaritia, non patriae amore ductos istos XXX viris adversatos esse, hinc apparuit, quod bellum cum Piraeei defensoribus strenue persecuti sunt; non inde, quod cum XXX virorum factione minore virium contentione bellum gesserunt. Nam XXX viri eorum ambitioni avaritiaeque vel magis obstabant, quam Piraeenses. Itaque precor, mi Franzi, ut per te mihi liceat cum Sluitero *ἢ* istud delere, quod v. *Πειραιεῖ* excipit. Potuit autem illa particula aut e iotacismo operarum originem ducere, aut ex interpolatoris prava diligentia. Saepissime enim factum est, ut cum primo adspectu lateret, quo aliqui comparativus referretur, librarii vel lectores de suo ingenio aut particulam *ἢ* supplerent, aut alium casum genitivo permutarent. — Quoniam precaris, inquit Franzius, non moror particulam.

Deinde reprehendi et Foertschium et Franzium, quod p. 255. §. 66. in v. *ἐπειδὴ δὲ Πείσανδρον μὲν καὶ Κάλλαισχρον καὶ ἑτέρους ἑώρα πρᾳοτέρους αὐτοῦ γενομένους* ineptum *πρᾳοτέρους* reliquissent. Scribendum est *προτέρους*, cuius iam Schotto in mentem venisse video. Nam *πρᾳοτέρους* et loci ipsius ratio, et historia respuit.

P. 256. §. 72. haec vulgantur: *τότε δὲ τούτων ὑπαρχόντων καὶ παρόντων Λυσάνδρου καὶ Φιλοχάρους καὶ Μιλτιάδου περὶ τῆς πολιτείας τὴν ἐκκλησίαν ἐποίουν, ἵνα μήτε*

ῥήτωρ μηδεὶς αὐτοῖς ἐναντιοῖτο, μήτε ἀπειλοῖτο, ὑμεῖς τε μὴ τὰ τῇ πόλει συμφέροντα ἕλοισθε. Nonne displicet vobis, inquam, tripartita haec oratio: ἵνα μήτε ῥήτωρ ἐναντιοῖτο-μήτε ἀπειλοῖτο — ὑμεῖς τε μὴ ἕλοισθε? Mihi quidem secundum istud μήτε in μηδέ mutandum esse videtur. Nam bipartitam orationem flagitat sententia. Porro v. ἀπειλοῖτο offendit me. Nam et rara est huius verbi forma media, et sententiae minus apta notio minandi. Aliquanto melius esset αἰτιῷτο. Nam duae res proditoribus illis verendae erant, primum ne impedirentur, quae futura erant, tum ne arguerentur, quae iam facta. — De priore emendatione mihi concesserunt sodales, de altera coniectura ampliarunt.

Iam ventum est ad p. 257. §. 77. πάντα γὰρ τὰ ὑπ' ἐμοῦ εἰρημένα ἐν τῇ βουλῇ ἀπολογούμενος ἔλεγεν, ὀνειδίζων μὲν τοῖς φεύγουσιν, ὅτι δι' αὐτὸν κατέλθοιεν, φροντίζων δὲ τῶν Λακεδαιμονίων, ὀνειδίζων δὲ τοῖς τῆς πολιτείας μετέχουσιν, ὅτι πάντων τῶν πεπραγμένων τοῖς εἰρημένοις τρόποις ὑπ' ἐμοῦ αὐτὸς αἴτιος γεγενημένος τοιούτων τυγχάνοι, πολλὰς πίστεις αὐτοῖς ἔργῳ δεδωκὼς καὶ παρ' ἐκείνων ὅρκους εἰληφώς. Hic locus, inquam, vel maxime docere potest, quam caute Cod. C utendum sit; et nollem ego et Bekkerum et vos illius libri auctoritati tantum hic tribuisse. Nam reliqui libri οὐδὲν φροντίζων τῶν Λακεδαιμονίων praebent. Hoc primnm retinere vos debebat, quod ut persaepe οὐ φροντίζειν τινός dicitur, ita φροντίζειν τινός vix usquam reperiatur. — Hoc debile argumentum esse, iudicarunt sodales. — At videte, inquam, quam turpiter istis verbis interpositis orationis turbetur concinnitas; nam enunciationes ὀνειδίζων μέν — ὀνειδίζων δέ non divellendas fuisse interiecta alius generis enunciatione, manifestum est. — Eam ob caussam, inquit Foertschius, uncis ista includenda sunt. — Lectoribus, inquam, ita consuli potuit; auditoribus non potuit. At ipsam sententiam aio ineptam esse. Qui enim ad rem pertinebat, quid Erastosthenes de Lacedaemoniis sentiret? Facilius paterer ἐπαινῶν vel tale quid; neque enim de animi sensis sed de impudentia dicendi agitur. Quid igitur? Nonne dicemus Cod. C interpolatorem, cum Lacedaemoniorum contemptum (οὐδὲν φροντίζων τῶν Λακεδαιμονίων) Erastostheni haud recte exprobrari videret (nam laudantis id, non accusantis erat) suo

Marte, at invita Minerva, locum tentasse? Aliam igitur viam ingrediamur. Satis constat, Athenienses cum dedita esset urbs Lacedaemoniorum iussu exulibus reditum decrevisse (conf. Lys. p. 305. §. 9.). Iam si Eratosthenes sua opera reditum exulibus patuisse gloriabatur; Lacedaemoniis eam laudem derogaret necesse erat. Quod ipsum est in vulgata scriptura, leniter mutata. Scripsisse enim Lysias videtur *οὐδὲν φροντιζόντων Λακεδαιμονίων* „cum nihil curarent, ut exules restituerentur, Lacedaemonii." Erat autem *Λακεδαιμονίων* absque articulo dicendum propter vim oppositionis. Placuerunt haec sodalibus, nec quidquam obstitit, quin rescribenda esse, quae commendaveram, omnium suffragio decerneretur, nisi quod etiam librorum scripturam *οὐδὲν φροντίζων τῶν* — tolerabilem, et similem quidem emendationi meae, sententiam praebere agnovimus. Nam *οὐδὲν φροντίζων* significare posse: „Lacedaemoniorum in exulibus reducendis operam contemnens (dum ipse sibi omnem laudem vindicabat)." Praestare autem emendationem iam ideo, quod *οὐδὲν φροντιζόντων* magis contumeliosum est exulibus, ut recte actorem *ὀνειδίζων* dixisse appareat.

Unus supererat huius orationis locus, qui iniuria mihi videbatur ab editoribus neglectus esse, p. 258. §. 80. *κατηγορεῖτε δὲ Ἐρατοσθένους.* — Non dubito, inquam, quin *καταγνῶτε* rescribendum sit. Nam iudices alloquitur, quorum erat non accusare, sed condemnare. Huic argumento erat, qui opponeret, hoc Lysiam dicere: „Condemnatione vestra quasi arguite eos et accusate." — Ita, inquam, ubicunque Lysias locutus esset, dixisset miro modo; hoc autem loco vel ineptius, quoniam proximis verbis id ipsum ut turpissimum taxatur, quod Eratosthenes idem et iudex et actor fuerit. Itaque aut *καταγνῶτε* aut *κατακρίνετε* reponendum est.

Disputatum est deinde de p. 280. §. 85. seqq. orat. in Agoratum. Primum ego Reiskium reprehendebam, quod in v. *ἀκούω δ' αὐτὸν καὶ τῳδὶ ἰσχυρίζεσθαι* pronomen *τῳδί* de suo ingenio supplevisset. Nam ante eum vulgabatur *καὶ ἰσχυρίζεσθαι*; in Cod. C vero repertum est *καὶ διισχυρίζεσθαι*. Quod cum Franzius mihi non concederet, sic conabar librorum scripturam defendere: Addito pronomine, inquam, hoc indicatur, eis etiam argumentis, quae praecedunt *διισχυρίζεσθαι* Agoratum, nec id huius loci proprium esse. Atqui *διισχυρί-*

ζεσθαι est multa cum asseveratione et pertinacia alicui argumento inniti. Id apparet magnam vim habere, si ad argumentum tam frivolum tamque plenum calumniae refertur, quam id est, in quo iam versatur oratio. Ea autem vis elevatur, si v. *διισχυρίζεσθαι* referendum est ad alia quoque minus frivola adversarii argumenta. Quo efficitur, satius esse pronomen omitti. — Sequuntur haec: *ὡς εἰ μὲν τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ μὴ προσεγέγραπτο, ἔνοχος ὢν τῇ ἀπαγωγῇ, διότι δὲ τοῦτο προςγέγραπται, ἔνοχος ὢν ῥαστώνην τινὰ οἴεται αὐτῷ εἶναι.* In his secundum illud *ἔνοχος ὢν* valde suspectum mihi esse aiebam. Id enim ipsum, inquam, adversarius negabat, lege *ἀπαγωγῆς τῆς ἐπ' αὐτοφώρῳ* se teneri. Ergo inepte addita sunt v. *ἔνοχος ὢν*, quae nisi ipsius adversarii concessionem continent, inutilia sunt et aliena. Quapropter ista aut e superioribus perperam repetita esse existimo, aut nata ex interpretamento margini adscripto. Cum enim nescio quis ad v. *οἴεται ῥαστώνην τινὰ αὐτῷ εἶναι* in margine adposuisset *οὐκ ἔνοχος ὤν*, posthac omissa negatione interpretamentum insertum est in continuitatem Lysianae orationis. Ceterum in Cod. C. v. *τῇ ἀπαγωγῇ — ἔνοχος ὢν* exciderunt.

Aliquanto graviori corruptela proxima laborant, *δοκοῦσι δ' ἔμοιγε οἱ ἕνδεκα οἱ παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν ταύτην, οἰόμενοι Ἀγοράτῳ συμπράττειν τότε καὶ διισχυριζόμενοι σφόδρα ὀρθῶς ποιῆσαι Διονύσιον, τὴν ἀπαγωγὴν ἀπάγειν ἀναγκάζοντες, προςγράψασθαι τότε ἐπ' αὐτοφώρῳ, ᾗ ὅπου ἂν ᾖ· πρῶτον μὲν ἐναντίον πεντακοσίων ἐν τῇ βουλῇ, εἶτα πάλιν ἐναντίον Ἀθηναίων ἁπάντων ἐν τῷ δήμῳ ἀπογράψας τινὰς ἀποκτείνειε καὶ αἴτιος γένοιτο τοῦ θανάτου.* — Statim convenit inter nos vel maxime haec emendanda esse. Quam vero Franzius rationem excogitaverat parum plausibilem, mox ipse deseruit (conf. eius edit. p. 277). — Nec diu de sententia, quae desideraretur, disputatum est. Nam et turbatae scripturae vestigia, et rei ipsius necessitas monstrabat hanc esse: „Cum Dionysius Agoratum per actionem *ἀπαγωγῆς* ad XI viros abduxisset, hi gratum facturi tunc Agorato, Dionysium libello suo verba *ἐπ' αὐτοφώρῳ* adscribere coëgerunt. Alioquin ad suam iurisdictionem caussam pertinere negabant. Id quamvis dolose ab XI viris factum et in gratiam Agorati, quo facilius instans iudicium eluderet, tamen inviti recte vere-

que illi fecerunt. Nam si quisquam, Agoratus *ἀνδροφόνος ἐπ' αὐτοφώρῳ* est." Iam videamus, inquam, quomodo librorum scriptura cum ea sententia conciliari possit. Primum manifestum est, haec cohaerere: *δοκοῦσί μοι σφόδρα ὀρθῶς ποιῆσαι οἱ ἕνδεκα ἀναγκάζοντες προσγράψασθαι τότε* (scribe *τό* aut *τό γε* cum Franzio) *ἐπ' αὐτοφώρῳ*. Quae interposita videmus, v. *τὴν ἀπαγωγὴν ἀπάγειν*, foede turbant nexum sententiarum. Contra *διισχυριζόμενοι* etsi per se intelligi potest, attamen obscurius est dictum, nec dubito, quin verba *τὴν ἀπαγωγὴν ἀπάγειν* sic scripta illi verbo subiicienda sint: *καὶ διισχυριζόμενοι τῷ ἀπαγωγὴν ἀπάγειν*. Priorem igitur periodi partem sic scribendam esse, mihi persuadeo: *δοκοῦσι δ' ἔμοιγε οἱ ἕνδεκα, οἱ παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν ταύτην, οἰόμενοι Ἀγοράτῳ συμπράττειν τότε καὶ διισχυριζόμενοι τῷ ἀπαγωγὴν ἀπάγειν, σφόδρα ὀρθῶς ποιῆσαι Διονύσιον ἀναγκάζοντες προσγράψασθαι τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ*. Sequuntur haec: *ἢ ὅπου ἂν ᾖ*, quae si significant (nec possunt non significare) „aut ubicunque tandem sit," certe sunt alienissima. Nemo enim rerum apud Athenienses forensium peritus *ἐπ' αὐτοφώρῳ ἢ ὅπου ἂν ᾖ* aut copulari potuisse, aut copulata intelligi, contendet. — Id facile concedebant sodales; nam haeserat Franzius quoque in istis verbis; quamquam emendatio parum ei cessit. — Nonne manifestum est, inquam, desiderari eiusmodi sententiam, qua proxima *πρῶτον μέν* seqq. cum prioribus rite cohaereant? Hanc igitur in corruptis v. *ἢ ὅπου ἂν ᾖ* latere oportet. Itaque videte, ne hoc Lysias reliquerit: *ἢ ποῦ ἄν; εἰ [τις] πρῶτον* — (nisi forte retinendum est *ὅπου* conf. p. 373. §. 4.). „Aut ubi tandem (qua alia in caussa) id fiat? si primum cett." — Saepe enim in argumentando usurpatur p. *ἤ* (alioquin), cum ratio afferenda est; conf. p. 199. §. 42. *ἢ πολλοὺς ἂν ἐξήλασαν;* p. 202. §. 13. *ἢ δεινόν γε*. — Non acquiescebat in ea ratione Franzius, aiebatque, novam hanc breviloquentiam esse. Nam dicendum fuisse *ἢ ποῦ ἄν, εἰ μὴ ἐν τούτῳ, εἰ πρῶτον* cett. „Aut qua in alia caussa, nisi in hac, si primum cett." — Beviloquentiam esse concessi; novam esse, negavi. Haud raro enim omissione demonstrativi etiam particulas absorberi, quibus illud cum antecedentibus copulandum fuisset. Quale illud esse, quod legitur p. 278. §. 77. *καίτοι πῶς ἂν γένοιτο ἄνθρωπος μιαρώτερος, ὅστις*

εἰδὼς ὅτι εἰσί τινες ἐπὶ Φυλὴν — ἐτόλμησεν ἐλθεῖν ὡς τούτους i. e. μιαρώτερος ἢ οὗτος, ὅστις. Eodem modo Dion. Chrysost. T. I., p. 335. 24. Reisk. — At similiora Franzius exempla poscebat; quae donec attulissem, ampliabàt.

P. 281. §. 87. haec leguntur: ἀλλ' ἀναγκασθέντες ὑπὸ τῆς σῆς ἀπογραφῆς ἀπέθανον. οὐκοῦν αἴτιος τοῦ θανάτου οὗτος ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐστί. τίς οὖν ἄλλος αἴτιος, ἢ σὺ ἀπογράψας; ὥστε πῶς οὐκ ἐπ' αὐτοφώρῳ σὺ εἶ ὁ ἀποκτείνας; — Permira, inquam, haec est ratiocinatio. — Sane verbosior est, inquit Franzius. — Non modo verbosa, inquam, sed inepta. Nam postquam dixit: οὐκοῦν αἴτιος τοῦ θανάτου οὗτος ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐστίν, quod non potest non referri ad ipsum Agoratum, quae sequuntur nullam omnino vim habent, nec in eis verbis, quibus terminatur ratiocinatio, quidquam aliud inest, quam in istis. Quo quid potest turpius ratiocinanti accidere? — Ita est, inquit Foertschius. Censes igitur, quaedam abiicienda esse. — Imo, inquam, addenda. — Foe. — Quidquamne addendum esse? Cave ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Nam satis, opinor, verborum est. — Nihil, inquam, mi Foertschi, addi volo, praeter articulum, οὐκοῦν ὁ αἴτιος. Nam ad argumentationis formam explendam prorsus hac opus est sententia: „Igitur, qui mortis eorum auctor est, is est ἐπ' αὐτοφώρῳ interfector." Quibus recte haec subiiciuntur: „Iam vero tu auctor es per tuam istam delationem; itaque interfector ἐπ' αὐτοφώρῳ es." — Cum nemo mihi obloqueretur, aliam quaestionem proposui. Dixi enim p. 282. §. 91. in verbis πῶς οὖν καὶ διὰ τοῦτο καὶ διὰ τὸν τῆς κακώσεως νόμον ἄξιός ἐστι θανάτῳ ζημιωθῆναι — haud inficetum oratoris commentum aut incuria librariorum, aut interpolatoris audacia obscuratum esse. Istud quidem satis patere, Agoratum eo nomine iam accusari, quod populum Atheniensem, qui quasi pater ipsius esset adoptivus, iniuria affecerit. Huic autem oratoris lusui quasi ansam id praebuisse, quod ποιεῖθαι et de filii adoptione, et de donata peregrino civitate usurpari solitum esset. Iam, inquam, qui patrem aut naturalem, aut adoptivum laesisset, in eum dabatur actio κακώσεως. — Si quidem, inquit Franzius, etiam filius non suus ea lege tenebatur. — Dubitatum est de hoc, et recte mones, Franzi. At putasne audiendos esse, qui negant teneri? — Hic certe

locus, inquit, eorum sententiam comprobare videtur. Alioqui facile Meierum et Schömannum sequerer (de reb. forens. Athen. p. 288.), qui adoptivos filios a suis in hac caussa non dissociant. — Iam video, inquam, aliam, quam designaveram, viam mihi ineundam esse. Neque enim verebar, ne istic lateret controversia. Itaque mittamus iam illud, quam late *ὁ νόμος κακώσεως* patuerit; per se locum spectemus. Ac primum quidem non recte haec copulata esse videntur: *καὶ διὰ τοῦτο — καὶ διὰ τὸν τῆς κακώσεως νόμον.* Nam *τοῦτο* non potest non referri ad iniuriam, quae illata est populo. Copulat igitur crimen cum lege, quasi essent generis eiusdem. — Id sane, inquit, incommodum est. — Deinde, inquam, nullum esse videtur huius loci acumen, si populi et parentum iniuriae, non sine quodam oratoris artificio ad unum genus revocatae, rursus dirimuntur commemorata lege *κακώσεως*, non utriusque communi, sed alterius propria. Quapropter aut fallor aut sic scripsit Lysias: *πῶς οὐ καὶ διὰ τοῦτο κατὰ* (legebatur *καὶ διά*) *τὸν τῆς κακώσεως νόμον ἄξιός ἐστι θανάτῳ ζημιωθῆναι* „qui iste non iam hanc ob caussam secundum legem *κακώσεως* ultimo supplicio dignus est?" — Sic emendata oratoris verba Schoemanni et Meieri sententiam novo argumento fulcient, quam vulgata scriptura subvertet.

Orat. in Alcibiad. p. 285. §. 2. haec vulgantur: *οὐ γὰρ μικρὰ τὰ ἁμαρτήματα οὐδὲ συγγνώμης ἄξια οὐδ' ἐλπίδα παρέχοντα ὡς ἔσται τοῦ λοιποῦ βελτίων, ἀλλ' οὕτω πεπραγμένα καὶ εἰς τοσοῦτον κακίας ἀφιγμένα, ὥστ' ἐπ' ἐνίοις, ὧν οὗτος φιλοτιμεῖται, τοὺς ἐχθροὺς αἰσχύνεσθαι.* In his suspecta mihi esse v. *τοὺς ἐχθρούς*, professus sum. Nam duae sunt, inquam, eorum interpretationes; at neutra harum tolerabilis. — Duaene, inquit Foertschius? — Ita est, inquam, nisi forte tertiam tu adieceris. Aut enim hoc dicit, inimicos pudere eorum, quae cum ambitione faciat Alcibiades; aut, futurum ut pudeat inimicos, si talia ipsi faciant, qualia ambitiose faciat Alcibiades. — Hanc posteriorem, inquit, omittamus; nam iniquum est, Alcibiadem ad inimos suos, quasi exempla virtutis exigi, qui si erant homines perversi, inimicorum iste pudor laudem potius, quam contumeliam ei afferebat. — At altera ratio, inquam, meliorne tibi videtur? Nam pudet nos alieni facinoris tum, cum is, qui illud commisit,

aliquo modo nobiscum coniunctus est. Itaque quae peccant amici, eorum nos pudet; quae inimici, his nos quidem Christiani dolemus; gaudebant, qui tunc erant Graeci, et quidem eo magis, quo turpius erat peccatum. Videndum igitur, ne librarii culpa *τοὺς ἐχθρούς* in hunc locum irrepserit; fortasse aberrante eius oculo ad illud *ἐχθρόν*, quod et praecedit et sequitur nullo propemodum intervallo. Scribendum vero *ἑτέρους* (pro v. *τοὺς ἐχθρούς*) existimo (conf. p. 292. §. 42.). — Deles igitur, inquit, articulum? — Quem retinerem, inquam, si certa esset scriptura apud Andocid. de Myst. p. 110. §. 92. *σκέψασθε τοίνυν, ὦ ἄνδρες, καὶ τοὺς νόμους καὶ τοὺς κατηγόρους, τί αὐτοῖς ὑπάρχον τῶν ἑτέρων κατηγοροῦσι.* At ea est Bekkeri coniectura, cum in libris reperiatur *ὑπαρχόντων*. (An cogitavit de nomin. *τὰ ἑτέρων*?). Itaque de articulo ampliabo, donec demonstratum fuerit *οἱ ἕτεροι*, quod *alteros* significare solet, etiam sic dici, ut sit i. q. *οἱ ἄλλοι*. — Qua de re cum neuter in promptu, quod litem dirimeret, haberet, rogavi eos, ut p. 285. §. 7. inspicerent. Quem locum, aiebam, perinde ad fidem Cod. C infringendam, ac probandam eius praestantiam plurimum valere. Ibi est: *ἀστρατείας μὲν γὰρ δικαίως ἂν αὐτὸν ἁλῶναι ὅτι οὐ κατελέγη, λειποταξίου δὲ, ὅτι οὐκ ἐπεξῆλθε μεθ' ὑμῶν στρατοπέδῳ μόνος οὐδὲ παρέσχε μετὰ τῶν ἄλλων ἑαυτὸν τάξαι, δειλίας δὲ, ὅτι δεῖν ἕκαστον μετὰ τῶν ὁπλιτῶν κινδυνεύειν, ὁ δ' ἱππεύειν εἵλετο.* — V. *ὅτι οὐ κατελέγη λειποταξίου δὲ ὅτι* a Cod. C sumpsit Bekkerus. In Cod. X et Stephanianis exemplis legitur *ὁ καταλεγεὶς* (Cod. X *καταλέγεις*) *ὁ πατὴρ*, omissis v. *λειποταξίου δὲ ὅτι*. Grati inquam, accipiamus v. *λειποταξίου δὲ ὅτι*, quae Cod. C. solus, ut videtur, nobis servavit. At eiusdem Cod. scripturam *οὐ κατελέγη* infelicissimum interpolatoris commentum esse contendo. — Attamen, inquit Franzius, aliquanto illud melius est, quam quod ante Bekkerum vulgabatur, *ὁ καταλεγεὶς ὁ πατήρ*; qua propter Bekkerum laudo, qui illud receperit. — Tantae sunt, inquam, Bekkeri laudes, ut hac facile careat. Illud vero spondeo, ni peior est Cod. C scriptura, quam vulgata; si quidem quanto propius abest a genuina, tanto melior est aliqua scriptura. — Confidenter sane loqueris, inquit. — Nam res manifesta est, inquam. An tu tibi persuades, potuisse

quemquam *ἀστρατείας* crimine damnari, qui non esset miles scriptus? — At contrarium demonstrant proxime antecedentia v. *οὐχ οὓς οἱ στρατηγοὶ καταλέξωσιν.* — Aut non fuisse scriptum Alcibiadem? — At erat scriptus, id quod dubitari vetant tum ea verba, quorum testimonio modo utebar, tum quae leguntur p. 296. §. 11. *ἀποδέδεικται δὲ καταλεγεὶς εἰς τοὺς ὁπλίτας καὶ λιπὼν τὴν τάξιν.* — Qua ratione Franzium Cod. C scripturam deserere coëgi. Reliquum erat, ut latentia in vulgata scriptura veri vestigia monstrarem. Qualis desideretur, inquam, sententia, non obscurum est. Nam dicendum erat, quamvis scriptum Alcibiadem non venisse. Itaque literis quibusdam mutatis e vulgato *ὁ καταλεγεὶς ὁ πατὴρ* efficio *ὅτι καταλεγεὶς οὐ παρῆν.* Eodem ducit l. Coisl. scriptura *καταλεγεὶς ὁ πηρόν.* — His adieci, *στρατοπέδῳ μόνος* in *στρατοπεδευόμενος* mutandum; *ἕκαστον* in *αὐτόν,* et §. 10. potius e Cod. X (in quo est *ἵππου ὄντες δέ*) *ἱππεύοντες δέ*, quam *ἔφιπποι δὲ ὄντες* e Cod. C scribendum mihi videri.

Deinde perventum est ad p. 289. §. 26. *μετεπέμφθη δ' ὑπὸ Ἀρχιβιάδου, ἐπειδὴ φανερῶς ἐξημάρτανε.* In his vellem, inquam ego, Bekkerus secutus esset Codd. auctoritatem, quorum uterque *Ἀλκιβιάδου* habet. Nam quem alium, quam patrem credibile est istum ad se evocasse? Etiam quae sequuntur verba ad nobilissimum illum Alcibiadem referri apparet: *ὅστις κἀκείνῳ τοιαῦτ' ἐπιτηδεύων διεβέβλητο, ὃς τοὺς ἄλλους ταῦτ' ἐδίδασκε.* — Non displicebant haec sodalibus, cum praesertim Codd. auctoritate confirmarentur.

Orat. pro Mantith. p. 297. §. 5. *οὔτ' ἐκεῖνοι* (XXX viri) *φαίνονται τοιαύτην γνώμην ἔχοντες, ὥστε καὶ τοῖς ἀποδημοῦσι καὶ τοῖς μηδὲν ἁμαρτάνουσι μεταδιδόναι τῆς πολιτείας, ἀλλὰ μᾶλλον ἠτίμαζον καὶ τοὺς συγκαταλύσαντας τὸν δῆμον.* Particulam *καί* Bekkerus in utroque Cod. (C et X) repperit. Stephaniana exempla *ἢ* habent, cuius erroris haud dubie illud *μᾶλλον* caussa fuit. Ad Codd. scriptura non contenti et Foertschius et Franzius coniecturas tentabant; ille *ἀλλὰ μᾶλλον ἠτίμαζον αὐτοὺς οὐ συγκαταλύσαντας τὸν δῆμον;* Franzius vero, *ὡς οὐ συγκαταλύσαντας τ. δ.* Gloriabatur autem, quod in eandem cum Foertschio emendationem incidisset (conf. Franz. edit. p. 284). Nam summam utriusque eandem esse. Ita cum sibi ipse gratulatus esset, quid

mereare, inquam, Franzi, ut ego nunc taceam? Nam Foertschius acquiescere videtur in tua ratione. — Et ille ridens: Non est tanti. — Tum ego: Quid ferocis Franzi? An ob coniecturam vel maxime inutilem? Quid enim aptius ab oratore dici potuit, quam hoc: „Sed potius eos etiam susque deque habebant, qui cum ipsis popularem rei publicae formam dissolverant (nedum ut innocentes et qui peregre fuissent, ad rem publicam admitterent).” Non ignoras enim, XXX virorum dominationem vel illis gravissimam fuisse, qui optimatum factioni addicti, tyrannorum consilia, priusquam, quo essent evasura, patefieret, adiuverant. Quibus de rebus, si quidem tanti est, Franzi, conferas p. 260. §. 92. — Eo loco inspecto vulgatam scripturam sanam esse, concesserunt sodales.

Posthac eos rogavi de v. p. 300. §. 19. *πολλοὶ μὲν γὰρ μικρὸν διαλεγόμενοι καὶ κοσμίως ἀπερχόμενοι μεγάλων κακῶν αἴτιοι γεγόνασι, ἕτεροι δὲ τῶν τοιούτων ἀμελοῦντες πολλὰ κἀγαθὰ ὑμᾶς εἰσὶν εἰργασμένοι.* Graecis, inquam, in incessu magna videbatur vel decori, vel indecori pars inesse. At quid *ἀπερχόμενοι* sibi velit, non intelligo. — Erat qui *ἀπερχόμενοι* sic interpretaretur: „Postquam locuti sunt, modeste decedentes.” — Id ferendum negavi; nam qui locutus, inquam, decore decedit, is fieri potest, ut rustice ad loquendum accedat. Idcirco *περιερχόμενοι* scribi malim (conf. Dio Chrys. T. II, p. 6. v. 34. ed. Reisk.).

Orat. de bonis publ. p. 302. §. 6. *ἐπειδὴ δ' ὑμῖν τὰ Ἐρασιφῶντος δημεύειν ἔδοξε.* Meierus de bonis damn. p. 192. et Bremius in Erasiphontis locum Eratonem, patrem, substituerunt. Itaque rogavi sodales, quo iure id viderentur fecisse. Permirum est, inquit Foertschius, si aliquot annis postquam mortuus est et tota hereditas ad eius filios transiit, Eratonis bona publicata sunt (conf. §. 3.). At si §. 4. considero, videntur sane non Erasiphontis, sed Eratonis bona publicata esse. — Idem, quod tu dicis, inquam, mihi quoque molestum est in Meieri illo invento; tametsi caussas excogitari posse video, cur mortui bona publicentur. At coniectura est illa, quam repellamus, dum librorum scriptura defendi potest. — Atqui hanc eius defensionem invenimus. Eratonis tres fuere filii, Erasiphon, Erato, Erasistratus. Quorum si solus Erasipho etiamtum superstes erat, fratres vero orbi obierant, totum

patrimonium ad illum pervenerat. Quapropter §. 5. de tota hereditate cum Erasiphontis cognatis (ipse enim tunc peregre fuisse videtur) disceptatum esse legimus. Ita eadem bona et Erasiphontis §. 6. et Eratonis (patris) §. 4. dici potuerunt. Priore autem loco §. 4. Eratonem posuit, non Erasiphontem, quoniam hoc ambiguum erat. Nam Erasiphontis bonis etiam ea hereditatis portio significari possit, quae fratribus adhuc superstitibus in eum cadebat; sicut statim Erasistrati bona dicuntur, tertia pars hereditatis; illo autem loco de tota agitur hereditate. — Sic librorum scripturam defendi posse, inter nos convenit.

Orat. de bon. Niciae fr. p. 308. §. 23. *οὐκ εἰς τοὺς οὕτω πολιτευσμένους ὑπὲρ τῆς πολιτείας ἧς καὶ ὁ πατὴρ καὶ οἱ προσήκοντες ἡμῖν ἀπέθανον.* Sententiam horum verborum hanc esse apparet: „Populari reipl. forma utentes, pro qua pater et cognati mortem obierunt." — Miror equidem, inquam, si ita locutus est orator. Nam dicendum erat: — *πολιτευομένους, ὑπὲρ ἧς πολιτείας* vel *τοιαύτην πολιτείαν πολιτευομένους, ὑπὲρ ἧς.* Itaque suspicor, scripsisse Lysiam *πολιτευομένους, ὑπὲρ ἧς* (omisso v. *τῆς πολιτείας*), ut e verbo *πολιτευομένους* substantivum *πολιτείας* suppleatur. Quod genus dicendi cum alicui lectori obscurius videretur, manu fecit, quod faciendum erat cogitatione. — Hoc etsi haud procul a veri specie abesse censerent sodales, tamen ut rarius quoddam attractionis genus vulgatam scripturam tuebantur.

P. 315. §. 31. *ἡμεῖς δὲ ἤδη δεδημευμένων καὶ ἐξεληλυθυίας τῆς ἐμῆς ἀδελφῆς φύλακα κατεστήσαμεν τῇ ἐμῇ οἰκίᾳ.* Haec verba, quae sodales intacta praetermiserant, mihi parum sana esse videbantur. Igitur ex eis quaesivi, quo tandem modo, ne quid auferretur ex aedibus alienis, in suis custodem habuerit? Nam Aristophanem non habitasse apud actorem, perspici e §. 29.; ipsum enim Aristophanem domum L minarum possedisse. — At sic, inquit, rem animo tuo informa. Id verebatur, ne quis ipsum aliquid furatum esse insimularet. Ideo suae domi custodem constituit. — Itane vero, inquam? Ergo admodum stultus actor fuerit necesse est. Quae enim fides custodi ab ipso constituto, servo haud dubie? Deinde nihil deterius custos ille in Aristophanis aedibus excubabat, quam apud actorem; idemque illic excubans alios quoque

fures repellere poterat. Neque enim, opinor, e toto Atheniensium, peregrinorum, denique servorum numero solus actor fur erat, manusque eius custodiendae. Idcirco ad insignem tuam benignitatem denuo provoco. Patiare enim *κατεστήσαμεν ἐν τῇ οἰκίᾳ* rescribi. Tale quid desiderari convenit inter nos.

Exinde ventum est, me auctore, ad p. 316. §. 41. *καὶ οὐδενὶ οἷόντε εἰπεῖν ὅτι διηρπάσθη ἢ ὡς οὐ δικαίως ἀπεφάνθη· αὐτὸς γὰρ ἐν τῇ νόσῳ ὢν εὖ φρονῶν ᾔσθετο.* Maius est, inquam, huius loci momentum, quoniam ad postremas viri de patria optime meriti fortunas refertur, Cononis, qui quo fato perierit, iam veteres constat ambigere. Erant enim, qui a Persis necatum esse dicerent; Dino autem, cui Cornelius Nepos in Persicis rebus plurimum auctoritatis esse affirmat, e vinculis eum evasisse et sua morte exstinctum, memoriae prodidit. — Hanc Dinonis narrationem erat qui Lysiae verbis egregie confirmari diceret. Nam *ἐν τῇ νόσῳ ὢν*, inquit, sic dictum cum articulo ad alium morbum, quam ad postremum, qui vitae finem fecit, nequit revocari. — At ne quid caldius, inquam, viri optimi. Nam priusquam Dinonis testimonio Lysiae auctoritatem addamus, videndum est, quid dicat Lysias. — Quid dicat, inquit? An te fugit notissima illa verbi *αἰσθάνομαι* cum participio constructio? — Duo sunt, inquam, participia, quorum utrum coniungis cum v. *ᾔσθετο*? — *εὐφρονῶν*, inquit. Scis enim testamenta irrita fuisse, quae quis insanus fecerat, aut non suae potestatis, aut quae alia cauta erant notissima lege Solonis. — Non ego, inquam, legis illius immemor sum. Tamen aio inepte actorem locutum esse. Nam dic mihi, vir optime, si quaeritur, utrum homo insanus sit, nec ne, ullusne reperietur testis minus locuples, quam ipse? Quotusquisque enim insanus se insanire sibi persuadet? Immo plerique vel maxime mente capti aliquanto sibi, quam reliqui homines, prudentiores esse videntur. Vide igitur, ne rideant iuris consulti, si quis ita loquatur: „Ipse enim intelligebat, se sana mente esse; ratum igitur et certum testamentum est." — Reliquum erat, ut v. *ἐν τῇ νόσῳ ὢν* cum *ᾔσθετο* construerentur. Id vero ipsi sodales fieri nolebant. Nihil enim ad fidem testamenti facere, quod se aegrotare ipse senserit; nec id opus fuisse dici, nam vix quisquam aegrotus se ignorat aegrotare. Itaque pro v.

ἤσθετο — διέθετο rescribendum esse, obtinui. — Quid autem inquit Foertschius, quod tu initio dicebas, ista emendatione proficit historia? An tu illud dicis, quod iam scimus integra mente, cum testamentum fecit, fuisse Cononem, non tantum sibi visum esse? — Quid me reprehendis, inquam, Foertschi? Tantum feci, quantum potui; testis corrupti sublestam fidem nudavi. At hoc velim consideres. Etiamnum sane Lysiae verba Dinonis narrationem confirmant. Nam morbo Cononem exstinctum esse indicant. At Lysiae testimonium unius literulae momento nutat. Nam finge, non *ἐν τῇ νόσῳ* sed *νήσῳ* (i. e. in Cypro) scripsisse Lysiam et nihil iam Dinoni Lysiam patrocinari reperies. *νήσῳ* autem aptissimum est. Nam vel maxime ad fidem testamenti pertinebat, utrum in Cypro esset factum, an in hostium (Persarum) potestate. Sic enim irritum erat, alioqui râtum. — Haec mea suspicio non admodum movit sodales. Nam *νόσῳ* nec deterius esse, et librorum scriptura confirmari, non poteram non concedere.

P. 324. §. 13. *ἵνα μηδεὶς αὐτῷ διάφορος εἴη τῶν δημοτῶν.* — CCCC viri rerum apud Athenienses potiti, eo utebantur artificio, ut nomina quinquies mille civium, qui populi concilium constituturi erant, edere cunctarentur. Ita enim mutua suspicione, dum alius ab alio sibi timet, cuncta complebant. Postea vero, propius iam instante proditoribus istis periculo, aliquanto plures, ut hinc cognoscimus, quam constitutum erat, lecti sunt. Hoc munere Polystratus functus est; utrum solus an simul cum aliis, aliunde non constat. At si sanum est *τῶν δημοτῶν*, statuamus necesse est, tot *καταλογέας* fuisse, quot demos. Quod non est credibile, cum alias ob caussas, tum quis sibi persuadebit, aliis, quam qui essent e numero CCCC virorum, munus illud traditum fuisse? Atqui non potuit nisi permiro casu accidere, ut e quovis demo aliquis in Senatum istum CCCC virorum lectus esset (conf. Thuc. 8. c. 67.). Porro etiamsi illud tulerimus, tamen inepte eum dixisse fatendûm est: *καταλογεὺς ὢν ἐνναπισχιλίους κατέλεξεν.* Nam quantilla pars novem milium illorum ex ipsius Polystrati demo esse poterat? Ideo *πολιτῶν* pro *δημοτῶν* proposui sodalibus. Illi autem ampliarunt, donec Thucydidem accuratius inspexissent. Apud quem nihil eos repperisse, quo vulgata scriptura defendi possit, certo scio. Cum in eo iam esset, ut

ad alia transiremus, Franzius quaesivit, qua ratione v. *εἰ δέ τῳ μὴ οἷόντε εἴη* explicanda esse putarem. — Respondi, e nexu sententiarum tale quid, quale *τῶν πεντακισχιλίων γενέσθαι*, cogitatione supplendum videri. Quae omissio sane durior est, at quoniam tota oratio minus perpolita est, quam eiusdem auctoris pleraeque aliae, acquievimus in vulgata scriptura.

Iam evolvimus orationem pro invalido. Hac autem in oratione vel maxime illud cernitur, quam insignem Lysiae laudem esse, idoneus arbiter Dionysius iudicavit, ut totus color orationis actoris personae accommodatus sit. Ferox iste mendicus sic loquitur p. 346. §. 15.: *λέγει δ' ὡς ὑβριστής εἰμι καὶ βίαιος καὶ λίαν ἀσελγῶς διακείμενος, ὥσπερ εἰ φοβερῶς ὀνομάσαι μέλλων ἀληθῆ λέγειν, ἀλλ' οὐκ ἂν πάνυ πρᾴον ὡς μηδὲ ψεύδηται ταῦτα ποιήσων.* Haec cur intacta omiserint, quaesivi e sodalibus. Videnturne vobis, inquam, sana, an insanabilia? — Corrupta, inquit, Foertschius, nec video plausibilem eorum emendationem. — Rursus quaesivi, num haec eis ratio placeret: *ἂν πάνυ πρᾳόνως μηδὲν ψεύδηται* cett. — Admodum lenis est, inquit Foertschius, tua emendatio. Nam nihil, si recte audivi, nisi *πρᾴον ὡς* in *πρᾳόνως* contraxisti, et pro v. *μηδέ* una litera adiecta scripsisti *μηδέν*. Itaque si aptam sententiam sic effici perviceris, scito me tibi non oblocuturum esse. — Id, inquam, non difficile est, et certus est mihi assensus tuus. Hoc enim dicit: „Tamqnam, si terribilia verba effundat, vera dicturus, non quasi id facturus (vera locuturus), si placide prorsus et leniter nihil mentiatur." Nam *ταῦτα ποιεῖν* et *τοῦτο ποιεῖν* saepissime tum usurpantur, cum eiusdem verbi repetitione languidior futura erat oratio.

P. 351. §. 11. *ὅσοι μὲν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἄτιμοι ἦσαν εὐθύνας δεδωκότες, ἢ τῶν ὄντων ἀπεστερημένοι, ἢ ἄλλῃ τινὶ συμφορᾷ τοιαύτῃ κεχρημένοι, προσήκειν αὐτοῖς ἑτέρας ἐπιθυμεῖν πολιτείας.* — Negavi v. *εὐθύνας δεδωκότες* sic scribi a Lysia potuisse. Nam capitis, inquam, deminutione nec soli afficiebantur, nec omnes, qui in reddenda ratione caussa ceciderant; sed ea plurimis delictis poena proposita erat. Itaque non potuerunt illa sic coniungi, ut factum videmus in vulgata scriptura. — Habet illud, inquit, sane multum offensionis. At primum omnium de significatione v.

εὐθύνας διδόναι videndum est. — Contulimus igitur aliquot locos, quibus illa locutio usurpata est (p. 356. §. 30.; Andoc. p. 105. §. 37. cett.). Hinc apparuit, εὐθύνας διδόναι eos dici, qui legibus convenienter administrati muneris rationes reddant; contra οὐ διδόναι εὐθύνας eorum esse, qui migratis legibus illud officium detrectent. Quo magis corruptam istorum verborum scripturam esse iudicavimus. — Erat igitur, qui sic legendum esse coniiceret: ἦσαν, ἢ εὐθύνας μὴ δεδωκότες. — Quod ego concessi aliquanto melius esse, quam quod vulgatur. Tamen miratus sum, cur eorum potius hic fieret mentio, quibus damnum instaret, quam quibus illatum esset. Horum enim numerum longe maiorem fuisse, satis patere. Huc accedit, inquam, quod v. ἢ ἄλλῃ τινὶ τοιαύτῃ συμφορᾷ κεχρημένοι acceptam potius quam futuram calamitatem significant. — Debilia sunt, inquit, ea argumenta, qua coniecturam nostram impugnasti. Meliora proferas, et nostra reprehendas. — Haec confidentius ille dicebat, nihil me ratus in promptu habere. At ego, proferam, inquam, aliquid; utrum vero melius, an deterius, penes vos iudicium erit. Nam scribendum puto ἢ εὐθύνας (vel εὐθύναις) ἑαλωκότες. — Primi igitur ἄτιμοι commemorantur omnis generis, semper rerum novarum cupidissimi. Quam ob caussam, ubi maius aliquod instans rei publicae discrimen omnium civium concordia repellendum esset, capite deminuti saepius in integrum restituti sunt. Sequuntur qui reddendae rationi obnoxii condemnati erant; deinde quorum bona aut publicata erant, aut aliqua multa hausta. Eodem ordine similia leguntur in plebiscito Patroclideo apud Andoc. de Myst. p. 106. §. 78.: ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν ἢ ὀφείλοντες, καὶ ὅσων εὐθῦναί τινές εἰσι κατεγνωσμέναι — ἢ μήπω εἰσηγμέναι εἰς τὸ δικαστήριον γραφαί τινές εἰσι περὶ τῶν εὐθυνῶν cett. — Quae cum ita essent dicta, quaesivi e sodalibus, num eadem §. τὰς κατὰ τούτων ὑποδέχεσθαι διαβολάς recte videretur dictum esse, an Atticorum consuetudo ἀποδέχεσθαι poscere? — Hoc aiebant, si recte memini.

Eiusdem orat. p. 352. §. 14. haec leguntur: ἐγὼ γὰρ ὦ ἄνδρες δικασταὶ οὔτε ἐπὶ τῶν τετρακοσίων ἐγενόμην. — Ad ea neminem offendisse mirabar. Nam quid aliud, inquam, significant, quam non natum esse actorem, quo tempore summa

respublica penes CCCC viros erat. Qua sententia nihil potest magis ab hoc loco alienum esse. Apparet igitur, praepositionem *ἐπί* eiiciendam esse.

Ventum est ad orat. in Euandr. Cuius postquam de aliquot locis Foertschius et Franzius disceptaverunt, ego quaedam ab illis omissa in medium protuli. Sicut p. 359. §. 9. in his verbis: *ἡγούμενος δεινὸν εἶναι, εἰ δι' οὓς ἡ δημοκρατία κατελύετο, οὗτοι ἐν αὐτῇ τῇ πολιτείᾳ πάλιν ἄρξουσι, καὶ κύριοι γενήσονται τῶν νόμων καὶ τῆς πόλεως, ἣν πρότερον προλαβόντες οὕτως αἰσχρῶς καὶ δεινῶς ἐλωβήσαντο* — *παραλαβόντες* aiebam (non *προλαβόντες*) flagitare oratoris sententiam.

Eiusdem vero pag. §. 10. *ἄρμα* (Cod. Vind. *ἅμα*) in *γράμμα* potius quam *ὄνομα* vel *τοὔνομα* mutandum esse. Nam tantum patere, obscuratas esse aliquot literas in vetustissimo illo exemplo, unde quicunque exstant Lysiae Codd. profecti sunt; iam vero literam *α*, quae *μ* praecedit, librorum consensum satis tueri. Sententiae vero *γράμμα* accommodatissimum esse. Hoc enim admirari actorem, si *literulis* tabulae inscriptis plus tribuendum censeant, quam rerum ipsarum gravissimo testimonio.

Porro p. 360. §. 11. *ταύτης δὲ τῆς ἀρχῆς ἀξιοῖ μόνος αὐτὸς καθ' αὑτὸν ἄρχειν,* — suspecta esse propter insolens genus dicendi. Neque enim *ἀρχῆς ἄρχειν*, sed *ἀ. ἀρχήν* usurpari. Idcirco accusativum reponendum videri. Nec concessi sodalibus, genitivum suspensum esse e v. *ἀξιοῦν*. — Postremo de actore huius caussae quaestionem proposui. Multa enim §. 21. et 22. vestigia continere, quae quis diligenter persecutus, haud dubie, inquam, reperiet, cui scripta sit haec oratio. Nam pater imperator (*ἄρχων*) in Sicilia mortuus, octoginta patrimonii talenta belli tempore consumpta, denique gentis Alcmaeonidarum haud obscura significatio ad verum investigandum plurimum conferunt.

Orat. in Epicr. p. 365. §. 14. in v. *ἔτι δὲ τοὺς αὐτοὺς ἡγεῖσθαι χρὴ καὶ τῶν κατηγόρων σφόδρα δεήσεσθαι* — pro futuro aoristum *δεήσασθαι* reponendum esse, facile mihi concesserunt sodales. Id enim poscunt cum v. *ἡμεῖς μὲν οὖν οὐκ ἐθελήσαμεν προδοῦναι*, tum res ipsa.

Non magis obstiterunt sodales, quin p. 367. §. 7. orat. in Ergocl. v. *καὶ δεδιότες ὑπὲρ ὧν ἀφῄρηνται* — v. *ἀφῄρην-*

ται in ὑφήρηνται mutato emendarentur. Nam *avertendi* notionem requirimus. — At acrius disputatum est de his verbis orat. in Philocr. p. 370. §. 3.: οὐ τῶν μὲν ὑμετέρων πολιτῶν αὐτὸν ἐξήγαγεν, τῶν δ' αὑτοῦ χρημάτων ταμίαν ἐποίησε, καὶ τὸ τελευταῖον τριήραρχον κατέστησεν. Rogavi sodales, ut ista verba mihi interpretarentur. Et Franzius, mene haec, inquit, interpretari? Utinam tam nullo negotio ubique Lysias explicari posset. — Franzi, inquam, tantum mihi gratificare, prima verba quid sibi velint, mecum communica. Reliqua non moror. — Quid aliud, inquit, quam hoc: „Numero vestrorum civium eum eduxit; i. e. Athenis peregre eum duxit." Nam latine tecum loquendum est. — Tum ego, iam pro lubitu, Franzi, ferocias. Nam tenemus te. Primum ad hoc mihi responde, potueritne is, qui cum imperatore et classe Atheniensium rei publicae caussa domo abesset, civium numero eductus dici, an qui ita dicat, ineptissime loquatur? Deinde, vir optime, non ignoras, iudices, nisi necessaria aliqua obstat oppositio, sic compellari, quasi totus populus praesens sit. Huius enim vis est et maiestas in iudicio. An tu nunc non recordaris, quoties ὑμῶν et ὑμέτερα cett. sic dicantur in iudiciis, ut totus populus et publica intelligantur? — Quid ista ad rem, inquit ille. — Mene haec, inquam, interpretari? Cur ὑμετέρων πολιτῶν dixit, ipsis iudicibus exclusis? — At mittamus hoc. Summam loci sententiam excutiamus. Num haec iusta est oppositio „Ex hac eum urbe eduxit, suarum vero opum procuratorem fecit?" Nihil his inest acuminis. — Respondit Franzius, nihil se desiderare acuminis. Ceterum oppositionem iustam esse. Nam quasi abalienasse eum a civibus, et suum ministrum fecisse. — Quibus opponebam, non esse hanc abalienationem, si quis cum imperatore suo et exercitu Atheniensi profectus imperatoris bona administret. — Postremo Foertschius intercessit, et iussit me edere, quid loco fieri vellem. — Lenissima, inquam, emendatione dignam Lysia orationem restitui. Pro v. πολιτῶν scribendum est πωλητὴν „venditorem eorum quae vestra erant, suorum vero opum procuratorem." Vides enim, Ergoclem, Philocratis patronum, peculatus damnatum esse. Quid igitur tam pronum est, quam eius procuratorem ut participem peculatus arguere? Porro πωλητὰς scis magistratum Atheniensem fuisse. Quo fa-

cetior est oratio. Nam *ταμίας* quoque apud Athenienses magistratus erat. His argumentis tametsi et vulgatae scripturae vitium satis demonstratum, et coniectura mea firmata mihi videretur, tamen assensum continuere sodales. Et ego tunc maxime intellexi, quam incerta esset et precaria criticorum ars, nec quidquam aeque eis necessarium esse, ac modestiam, quam plerique flocci pendunt. Haec ego tunc apud animum meum cogitavi, at non prolocutus sum, veritus, ne cantilenam Schaeferi me cantare dicerent sodales.

Eiusdem orat. p. 371. §. 5. haec vulgantur: *εἰ δὲ τούτων μηδέτερον ποιήσει, δέδοκται καταψηφίζεσθαι.* Permirum est, inquam, scire oratorem, quid iudices apud animum constituerint (*δέδοκται*); et, si illud tam certo sciebat, cur dixit? Nam admonendi erant de officio suo iudices, non quid sentirent, edocendi. Nemo enim istud melius ipsis sciebat. Itaque rescribamus *δεδόχθαι*, suspensum illud e. v. *προσήκει.* Eodem vero infinitivos *ὀργίζεσθαι* et *συγγνώμην ἔχειν* referamus.

Orat. in Nicom. 379. §. 28. *καὶ τὰς μὲν ἀρχὰς ὑπὸ τῶν τοιούτων ἡγεῖσθε διαφθείρεσθαι, αὐτοὺς δὲ τούτοις πιστεύετε.* — *αὐτοὺς* Marklandi commentum est, quod defensitabat Foertschius; Franzius in eo non acquievit. Nam non *πιστεύειν τινί τι* sed *ἐπιτρέπειν* dici. Quod non male monebat Franzius; nam frequentissimum illud *πιστεύειν τινί τι* apud recentiores scriptores, Athenaeum, Plutarchum, alios, vix ullo exemplo antiquioris scriptoris confirmetur (conf. Franz. edit. p. 274.). Quod cum ei concessissemus, iussit nos *αὐτοί* rescribere, cum praesertim hoc propius a vulgata abesset, quam *αὐτούς.* — Id quoque concedendum erat. — Ergo quid cunctamur, inquit? — At ego, inquam, scripturam tibi indicabo, quae optima ad sententiam a vulgata vel propius abest, quam quod tu coniecisti. — Id admirabatur Franzius. Nam unam se aiebat literulam abiecisse; facillime vero ad proximae vocis casum librariorum oculos aberrare potuisse. — Ne id quidem impugnabam. — Quid igitur calumniaris, inquit Franzius? — Non calumnior, inquam, coniecturam tuam, sed ut vidisti, quae laude digna erant, lubens laudavi. At ipsam librorum scripturam coniectura tua praestabiliorem esse iudico. Nam sic mecum oratoris verba interpretare: „Magistratus a talibus corrumpi existimatis (i. e. magistratibus propter ta-

les homines non habetis fidem); ipsis vero istis fidem habebitis?"

Eiusdem orat. p. 385. §. 20. haec habentur: *διὰ μόνα ταῦτα ἱκανὸν εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι.* — In his *ἱκανόν*, tametsi isto modo usurpatum insolentius esse, inter nos convenisset, nec quisquam aliud huius dicendi generis exemplum in promptu haberet, tamen in *δίκαιον* mutare nolebamus. Nam ingenium Graecae linguae non obstare vulgatae scripturae.

Ibid. §. 23. operam dedi, ut de quadam mea coniectura persuaderem sodalibus. Nam quae ibi leguntur, *καίτοι εἰ μήτηρ, ἣ πέφυκε καὶ ἀδικουμένη ὑπὸ τῶν ἑαυτῆς παίδων μάλιστα ἀνέχεσθαι καὶ μηδ' ὠφελουμένη μεγάλα ἔχειν ἡγεῖσθαι* — non sane carent difficultate. Etenim *μὴ ὠφελεῖσθαι* et *ἀδικεῖσθαι* non recte inter se opponuntur, quoniam, cuicunque fit iniuria, is nullam capit utilitatem. Porro nulla percepta utilitas (*μηδ' ὠφελουμένη*) quomodo magna videri potest? Denique v. *τὰ γιγνόμενα* affirmant aliquid factum; at in v. *μηδ' ὠφελουμένη* nihil est, nisi negatio. Fortasse igitur *καὶ μικρ' ὠφελουμένη* scriptum est a Lysia. Depravasse vero librariorum iotacismus scripturam videtur.

Vel magis manifesta eorum depravatio est, quae leguntur p. 386. §. 26.: *καίτοι δικαίως γ' ἂν ὅστις φανερῶς ὥσπερ οὗτος προὔδωκε τὴν ἐλευθερίαν οὐ περὶ τοῦ βουλεύειν, ἀλλὰ περὶ τοῦ δουλεύειν καὶ τῆς μεγίστης ἀπορίας ἐκκλησιάζοιτο.* — V. *ἐκκλησιάζοιτο* haud dubie corruptum in *ἀγωνίσαιτο* mutavit Reiskius. Propius aberat a librorum scriptura *ἐξετάζοιτο* (i. e. *δοκιμάζοιτο*), vel certe *ἀγωνίζοιτο*. At totus locus vix dignus est celebrata huius oratoris elegantia. Frigidus est in v. *βουλεύειν* et *δουλεύειν* verborum lusus; *ἀπορίας* autem procul dubio alienum est. Nam ut *δουλεύειν* lusu verborum et proditae libertatis mentione excusetur; at quam excusationem habet *ἀπορία*? Porro quam vim inopia, post servitutem memorata? Itaque, si modo haec Lysiae verba sunt, non interpolatoris, qui aliquam lacunam de suo ingenio expleret, non *ἀπορίας* sed *τιμωρίας* legendum esse suspicor. — Tacebant sodales, cumque silentii caussam ex eis sciscitarer, sic infit Foertschius: Tu quidem instructus paratusque tamquam ex improviso nos occupasti. Nam nesciebamus, quae quibusque de locis tu dicturus esses, ipsi de rebus longe aliis

disputaturi. Ita factum est, ut quaedam tibi concederemus praeter necessitatem; saepius taceremus, non tuis argumentis victi, sed nostra consternatione. Itaque (nam et serum diei est) breviter, quae reliqua sunt, nobis indica, ut alio tempore et per otium de nostris tuisque emendationibus disseramus. — Id feci Foertschio obsecutus.

P. 387. §. *πῶς δ' εἰκός ἐστι τοῦτον, ὅς οὐδὲ τελευταῖος ἐπὶ τοὺς κινδύνους ἦλθε, πρότερον τῶν κατειργασμένων καὶ οὕτω συντιμηθῆναι. συντιμηθῆναι* cum *πρότερον τῶν κατειργασμένων* non bene coit; porro *καὶ οὕτω* (vel sic tamen) neque admodum necessarium est, et sedem non suam in media enunciatione obtinet. Videndum igitur, ne ita Lysias scripserit: *καὶ οὔ τῳ συντιμηθῆναι* i. e. *πρότερον τιμηθῆναι καὶ οὔ τῳ συντιμηθῆναι* „prius quam qui rem egerunt honorari vult, non modo simul cum aliis." — Pervagatus est hic pronominis *τίς* usus.

P. 392. §. 21. *τὸ μὲν ἥμισυ αὐτῶν τίθησι τούτοις λελογίσθαι.* In v. *τίθησι λελογίσθαι* inutilis inest verborum coacervatio. Sufficiebat aut *τίθησι* aut *λελόγισται* (conf. §. 20. et 28.). Porro particula *μέν* pendet. Itaque sic fortasse scribendum est: *τὸ μὲν ἥμισυ αὐτῷ τίθησι, τὸ δὲ τούτοις λελόγισται.* Aut si particulae *μέν* caelibis haud misereamini: *τὸ μὲν ἥμισυ, ὧν τίθησι, τούτοις λελόγισται.*

P. 395. §. 29. *οὔτε ζημίαν εἰληφώς.* Malim *ὠφληκώς.* Nam damni accepti notio latius patet, quam pro huius loci ratione. Certa enim hic damnorum genera enumerantur.

P. 395. §. 4. *εἰδότας ὅτι φιλονεικεῖν μέν ἐστιν εὖ πραττόντων, γνῶναι δὲ τὰ βέλτιστα τῶν αὐτῶν.* Postrema verba inepta sunt. Nam primum per se falsam continent sententiam. An bene consultare non nisi felices decet? Deinde adversa fronte cum oratoris pugnant consilio. Vult enim eis persuadere, ut recte consultent. Atqui tunc afflictae erant res Graecorum. Itaque si *τῶν αὐτῶν* legitur, exemerit eos numero eorum, quibus bene consultandum sit. Scribendum igitur *τῶν πάντων.*

P. 397. §. 2. *ὅτι πάντων εἰσίν.* Sc. *ἐστέ.*

Ibid. §. 3. pro v. *ἐκτησάμεθα* malim *ἐκεκτήμεθα.* Proxima feliciter tu emendasti, Franzi.

P. 398. §. 8. *τοσούτῳ ἐπιθυμοῦσι κινδυνεύειν.* Scriben-

dum est τοσούτῳ ἧττον ἐπ. κ. quod poscit et oratoris consilium et nexus sententiarum. — E fragmentis p. 401. fragm. 6. in v. δίκαιος δέ εἰμι μηδὲν παραλιπεῖν, ἀλλ' εἰπεῖν ἅπαντα, ἐπειδὴ νεώτερός εἰμι τοῦ συμβουλεύειν verissime. Reiskius δίκαιος δὲ εἶ. At etiam συμβουλεύειν, quod alienum est ab hoc loco, in συμβολαίου mutandum erat.

Aliud fragmentum sumptum a Prisciano, quod omisit Bekkerus; (apud Foertsch. 43.; apud Franz. 67.) ita vulgatur: ἐκ τοῦ κατὰ Μικίνου φόνου] οὐ πρὸς ἑταίρας ἀπίας ἀνήκειν δοκοῦντα παραλελείψεται. Verborum ista monstra, expulsa meretrice, sic corrigenda sunt: οὐ (quod incertum est propter praecedentem syllabam) πρὸς ἑτέρας αἰτίας ἀνήκειν δοκοῦντα π. „quae cum ad alias (vel non ad alias) caussas referenda sint, omittentur." — Quae cum essent dicta surreximus.

EPIMETRUM.

Quaedam aut consulto omissa, aut festinatione praetermissa ad calcem libelli apponam.

P. 163. §. 8. τὴν θεράπαιναν τὴν εἰς τὴν ἀγορὰν βαδίζουσαν. Articulum ante v. εἰς deleri velim. Nam actor unam tantum ancillam habet. Plane alia ratio est eorum, quae leguntur p. 164. §. 15., ubi mulier loquitur, quae, quot ancillas haberet Euphiletus, ignorare poterat. — p. 164. §. 15. αὐτὴ δέ. Scr. αὕτη δέ. — p. 174. §. 9. πρότερον. F. λυπρότερον. — pag. 177. §. 21. v. τοὺς Ἕλληνας f. eiicienda. — p. 185. §. 57. τῶν πόλεων. Articulum secundum plerosque Codd. omitti malim. — p. 186. §. 62. κτησάμενοι. Malim κτησόμενοι. — p. 199. §. 44. F. ἠπίστασθε et καθίστησι. — p. 200. §. 45. ἀκοσμιώτατος. F. ἀκοσμότατος. — p. 212. §. 34. εἰς οὕς. Praepositionem eiectam velim. — p. 213. §. 36. αὐτὸ [τοῦτο]. F. αὐτὸ τούτου. — p. 215. §. 46. ἐκ. F. ὑπέρ. Illud aptum esset, si semper domi fuisset Andocides, reliquis stipendia merentibus. — Ibid. §. 47. γεγονώς. καὶ ἕτεροι. Bekk. γεγονώς. καίτοι ἕτεροι. Non deterius esset γεγονώς. ὡς καὶ ἕ. — p. 216. §. 50. ὑπὸ τῶν πολλῶν. Vide ne ὑπό inducendum sit. — Ibid. §. 50. ποιεῖ. Malim ἐποίει. — p. 218. §. 2. νυνί με. F. νυνί γε. — p. 218. §. 6. πόλεμος. Scr. ὁ πόλεμος. — p. 218. §. 6. πολ-

7/

λὰς ἂν. Malim πολλὰς δ' ἄν. — p. 231. §. 2. εὔνοιαν. Malim εὐήθειαν. — p. 231. §. 6. ἀπαγορεύοντος. Malim ἀγορεύοντος (conf. §. 9); etsi Franzius non male vulgatam defendit. — p. 233. §. 14. διὰ τὴν ἡλικίαν καὶ διὰ τὴν ἀνάγκην. Vide ne: καὶ ἀνάγκῃ διὰ τὴν ἡλικίαν. Nam in collocatione verborum valde inter se codd. dissident. — p. 236. §. 2. αὐτόν. F. αὐτό. — p. 237. §. 15. ἐγὼ μέν. Particula suspecta est. — p. 241. §. 4. τύπτῃ. F. τύπτειν φῇ. — ibid. §. 5. ἔξω θέμενος. F. ἐξέδυέ τινος (conf. p. 236. §. 10.). — ibid. §. 6. ἄξιον. Praestat ἀξιοῦν. — ibid. §. 7. ἐγὼ οὖν. Sc. ἐγὼ γοῦν. Statim καίτοι γε pro v. καί γε. — p. 248. §. 30. καὶ μὲν δὴ οὐκ ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἀλλ' ἐν τῇ ὁδῷ, σώζων αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα, συλλαβὼν ἀπήγαγεν. Haec sic potius disponenda esse videntur: — οἰκίᾳ, σώζων αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα, ἀλλ' ἐν τῇ ὁδῷ συλλαβὼν ἀ. Nam id agit orator, ut Eratosthenem eo indigniorem venia esse exponat, quo non domi, sed in via Polemarchum comprehenderit. Hinc enim apparere, non tantum eum suae salutis caussa, nec quod parendum esset XXX virorum imperio peccasse; facile enim et collegis se excusare, et Polemarcho in via praetereunti parcere potuisse. Itaque v. σώζων αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα ad v. συλλαβών, non ad v. ἐν τῇ ὁδῷ συλλαβὼν pertinent. — Si vera est vulgata scriptura v. σώζων — ἐψηφισμένα sic accipienda sunt, quasi ex adversarii persona cum ironia quadam dicta; ut sententia haec sit: Quod dicit se suae salutis caussa XXX virorum imperio paruisse — non domi, sed in via, Polemarchum comprehendit. — p. 255. §. 62. scr. ἀπολογήσεσθε et ἐκείνῳ. — p. 264. §. 6. καὶ μάλιστα ἐν. F. καὶ μάλιστ' ἂν ἐν. — p. 281. §. 88. ἢ ἐπ' αὐτοφώρῳ τι ποιεῖται. F. ἢ τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ ποιεῖται. — p. 291. §. 37. ἃ μὲν γὰρ ᾔδει τῶν ὑμετέρων κακῶς ἔχοντα μηνυτὴς αὐτοῖς Λακεδαιμονίοις ἐγένετο. Neque αὐτοῖς, quod Franzius defensitat („indicabat eis, scilicet Lacedaemoniis"), neque quod Reiskius aliique commendarunt, αὐτὸς, ferri potest; sed vel αὐτῶν scribendum est, vel αὐτοῖς eiiciendum, ut natum e litteris vocabuli quod praecedit postremis. — p. 305. §. 7. ἀλλὰ προθύμως λειτουργοῦσι. Molesta est vox λειτουργοῦσι nullo propemodum intervallo repetita. Malim ὑπουργοῦσι, quod bene coit cum v. προστάσσειν. — p.

307. §. 16. φθονῆσαι. Malim φροντίσαι. Nam non est boni civis, patriae proditoribus invidere. φθονῆσαι in φροντίσαι corruptum est apud Dion. Chrys. T. II, p. 418. Reisk. — p. 310. §. 7. οὐ γὰρ θάψαι. Malim οὐδὲ γὰρ θ. — p. 314. §. 25. λύσασθαι. Sc. λύσεσθαι. — p. 315. §. 34. τοὺς ἐκείνου καὶ τοὺς προσήκοντας. Sc. καὶ τοὺς ἐκείνου προσήκοντας, ut Stephanus voluit, nisi quod ille καί delebat. — p. 316. §. 35. ὁμολογήσειαν. Adde p. ἄν. — ibid. §. 36. ὅπως σφίσιν. Sc. ὁμῶς σφίσιν. — p. 318. §. 48. παρ' οἷς F. οἷσπερ ἄν. — p. 322. §. 1. ἐπιβουλεύσαντες ἦσαν. Postremam vocem delendam esse censeo. — p. 325. §. 16. ὑμεῖς αὐτοί. Sc. ὑμᾶς αὐτούς (cf. p. 369. §. 14.). — p. 328, 31. ὃς ἄν τις. Malim ὅταν τις. — p. 332. §. 15. τῶν μὲν ἑτέρων. Sc. τῶν μὲν ὑμετέρων. — p. 333. §. 17. ἐξητήσαντο. Sc. ἐξαιτήσαιντο. — ibid. §. 21. ἐν τῷ δήμῳ. Vide ne ἐν τῷ δεινῷ, i. e. „cum versantur in periculo; cum rei sunt, sicut ego nunc reus sum." Neque enim multum intererat, utrum in iudicio quis, an in populi concilio morum suorum turpitudinem aperiret. — p. 335. §. 4. ἠρξάμην μὲν οὖν τούτων ἕνεκα, δεδιὼς δὲ τὰς αἰτίας αἰσχρὸν ἡγοῦμαι. F. — ἕνεκα, δεδιὼς τὰς αἰτίας· αἰσχρὸν δ' ἡγοῦμαι, transposita p. δέ. — p. 338. §. 18. λαμβάνειν. F. ἀφανῆ. Nam plane non intelligitur, unde irrepserit v. λαμβάνειν, nisi natum est e voce aliqua in vetusto libro non distincte exarata. — p. 352. §. 13. ἀλλὰ καί. καί malim abesse. — p. 354. §. 22. τοὺς μὲν τρισχιλίους στασιάζοντας ἐκ τοῦ ἄστεος, τοὺς δὲ ἄλλους πολίτας ἐκκεκηρυγμένους. Aut post v. στασιάζοντας addendum est τούς, aut v. ἐκ τοῦ ἄστεος post ἐκκεκηρυγμένους transponenda. — p. 381. §. 4. καὶ ἐξ ὧν. ἐξ mallem abesse. — p. 389. §. 6. ἐπέδειξεν. Malim ἀπέδειξεν. — ibid. §. 8. ὑπολιπόντων. Malim ἐπιλιπόντων. — p. 391. §. 15. Librorum scriptura ἅπερ ἐμοί satis confirmatur p. 389. §. 6. — Agmen claudat Eumathii emendatio L. VII. p. 290. ναῦς μοι παστὰς καὶ κῦμα τάφος, καὶ πνεύματος ἦχος ὑμέναιος καὶ ἡ νύμφη παρθένος ἐγώ. Scribo pro τάφος — ἔδαφος.

IV.

GODOFREDO HERMANNO ANNUM QUINQUAGESIMUM POST SUSCEPTOS SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES FELICITER EXACTUM PIE GRATULATUR ADOLPHUS EMPERIUS BRUNOPOLITANUS. XIX DECEMBRIS ANNI MDCCCXXXX.

Tenera admodum aetate, Vir summe, narratiunculam me legere memini haud illepidam. Erat enim palatium nescio quod, magica quadam vi ita comparatum, ut quicunque illud intraret, vellet nollet, verum diceret, ipsi autem dicentes hoc non sentirent. Unde fiebant multa vel maxime ridicula; nihil vero scurrilius, quam cum rex aulicorum suorum caterva stipatus forte eo devertisset. Quid mereare, ut tale apud nos sit palatium? Quamquam non multum refert scire, quid cum maxime de nobis sentiant homines, dum ignoramus, quid ut sentiant futurum sit, si hoc vel illud evenerit. Est unus huius disciplinae magister, non hercle mitis ille nec humanus, sed saepe acerbissimus, ipsius vitae usus,

ὁ πάθος μάθος κυρίως τιθεὶς ἔχειν.

Ac saepe quidem non didicisse quispiam malit, quam tanti se doctum esse.

Tuum vero erga me animum, Vir summe, semper eundem ego expertus sum; nec minoris me fecisti, quod, cum orta esset inter Te et viros quosdam doctissimos contentio, ut etiam aliquid simultatis intercederet, illos amare non destiti; sed Tu mea me passus es indole uti,

οὐ γὰρ συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν.

O quantum mihi gaudium, cum nuper apud optimos et hospitalissimos Gothanos et adspectu Tuo frui licuit et sermonibus dulcissimis. Tunc ego intellexi, ὁμογέρων quid esset. Recordor autem, et fortasse Tu quoque recordaris, rem oppido lepidam et iocularem. Iocularia enim mihi dicenda

sunt, quoniam ut laudes Tuas pro merito praedicem non mihi est os magna sonaturum. Solebas philologorum conciliabulis in hospitio illo Aethiopico interesse cunctis exoptatissimus. Mature aderas; abibas fere postremus. Erat autem quodam die tecum adolescentulus nescio quis. Tu sermocinabare; nos auscultabamus. Iam adolescens ille instabat, nimirum de Tua valetudine sollicitus, discedendi tempus esse significans; nam imbros cadere et tempestatem ingravescere. Huic Tu „Vintu, inquis, meo uti pallio" et confabulari nobiscum pergis.

Reliquum est, ut hoc munusculum paucis commendem. Nimis enim tenue est, et commendationis indiget. Exponam de honesto honesti viri exilio, quibus temporibus quemquam honestum esse difficillimum erat, Dionis Chrysostomi. Quod si vero fragmentum hoc esse et quasi specimen longioris commentationis duxeris, non intercedo. Ex hoc enim et Tu iudicabis, et si quis alius voluerit, num operae pretium sit, reliqua publicare, quae de Dionis vita conscripsi, haud indigne laturus, si cui secus visum fuerit. Nam hodieque et tacendi quaedam laus est.

DE EXILIO DIONIS CHRYSOSTOMI.

De vita Dionis Chrysostomi quae constant, pleraque ex ipsius scriptis petita sunt. Nam neque Philostratus, neque Synesius, neque Suidas, neque si quis alius Dionis vitam conscripsit, aut a fide aut a copia rerum multum commendationis habent. Recentiorum autem ut eos omittam qui universam Graecarum litterarum historiam tractarunt, et Valesius quondam et nuper Kayserus, Vir Clarissimus, in eodem argumento versati sunt. Et Kayserus quidem ut recte pleraque, ita quaedam obiter modo perstrinxit; in quibusdam errasse mihi visus est. Dicetur igitur de exilio Dionis.

Atrox Domitiani imperium et multis viris doctrina et ingenio egregiis et Dioni noxium fuit. Nam eius decreto relegatus est. De quo casu gloriari consuevit, laudem quaerens e pessimi principis odio. Eodem autem exilio, ut ipse affirmat, vitae eius rationes prorsus mutatae sunt; ab oratoria

enim arte ad philosophiam defecit, quam idem antea quadam oratione nunc deperdita vehementius insectatus erat [1]).

Quapropter antiquitus fuere, qui exilio scripta eius bifariam dividerent; quod nobis imitandum foret, si modo, quo quaeque tempore edita essent, satis constaret.

Iam primum quaerendum est, quando relegatus sit; quo viam monstrabit ipsius quidam locus, quem integrum huic paginae subieci; nam singula verba diligentius examinanda erant [2]). Existimabatur familiariter uti viro quodam non pravo, cui cum beatis quibusdam hominibus et tunc dominantibus generis necessitudo intercedebat, sed qui eam ipsam caussam interitus habuit, propter quam multi fortunam eius praedicabant. Igitur explorandum est, quinam istis verbis Dionis patronus significetur.

Ac primo quidem de Iunio Rustico cogitaverit quispiam, qui quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidit a. 94. p. Ch. damnatus est. Nam huius criminis occasione Domitianus philosophos omnes urbe Italiaque submovit [3]). Quem nolim intelligi. Neque enim Roma modo Italiaque submotus est Dio, ut mox demonstrabitur; neque erat, quod toties gloriaretur de exilio omnium philosophorum communi. — An Salvius Cocceianus et Dionis patronus et caussa fuit exilii? Habet illud aliquid e nominis paritate praesidii. Nam quod existimant a Nerva Cocceiani nomen accepisse Dionem, idoneo argumento doceri nequit. At Salvius Cocceianus quod Othonis Imperatoris, patrui sui, diem natalem celebravit, ad mortem adactus est [4]). Itaque v. *τότε εὐδαίμονες* adversantur, quae non possunt non referri ad gentis Flaviae Imperatores. Nec a suorum caede ita sibi temperavit Domitianus, ut quo revocaremus Dionis verba non haberemus, sed potius facta

1) Vid. Synesii Vitam Dionis ante Reisk. Dionis edit. p. 15 et p. 17. et Kays. Philostr. V. S. p. 173.

2) Dion. T. II. p. 118 Reisk. *ὅτε φεύγειν συνέβη με φιλίας ἕνεκεν λεγομένης ἀνδρὸς οὐ πονηροῦ, τῶν δὲ τότε εὐδαιμόνων τε καὶ ἀρχόντων ἐγγύτατα ὄντος, διὰ ταῦτα δὲ καὶ ἀποθανόντος, δι' ἃ πολλοῖς καὶ σχεδὸν πᾶσιν ἐδόκει μακάριος, διὰ τὴν ἐκείνων οἰκειότητα καὶ ξυγγένειαν.*

3) Vid. Sueton. Domit. c. 10. Ceterum Dio tunc ne adnumerari quidem philosophis poterat.

4) Sueton. Domit. c. 10.

eligendi optione haesitationem nobis adtulit. Nam e patruelibus suis duos necavit, T. Flavium Sabinum et Flavium Clementem [1]). Horum alterum intelligendum esse mihi persuadeo. Exploremus, utrum Dio dixerit. Haud temere *οἰκειότητα* copulavit et *συγγένειαν*, quorum illud affinitatem, hoc cognationem significat [2]). At hinc nihil colligi potest. Nam Flavius Clemens uxorem habebat Flaviam Domitillam, Domitiani sororis filiam [3]): T. Flavium Sabinum occidit, collegam Consulatus, quo uxore eius Iulia, Imperatoris Titi filia, potiretur. Iam Sabinus si patronus fuit Dionis, v. *ἀποθανόντος διὰ τὴν ἐκείνων οἰκειότητα καὶ ξυγγένειαν* quam vere dicta sint, non latet. Sed eadem ne a Clemente quidem aliena sunt. Aliud igitur, quo res conficiatur, indicium circumspiciamus.

Flavius Clemens occisus est a. 95, uno ante ipsum Domitianum anno; Flavius Sabinus a. 82. Aio igitur, Sabinum intelligendum esse. Nam de diuturnitate exilii saepe conquestus est Dio [4]). —

Illa igitur caussa fuit exilii. Iras autem Imperatoris magna constantia tulit, qui furibundum hominem ultro lacesseret, et ore styloque eius nequitiam castigaret. Quae libertatis suae monumenta superesse ait et omnium manibus teri; ad nos vero non pervenerunt. Nam oratio Athenis de exilio habita (Orat. XII.) serioris haud dubie temporis est. An Orat. VI. de tyrannide significari existimabimus?

Sequitur ut in genus exilii inquiramus; de quo qui Dionis vitam scripsere diversissima quaeque narrarunt. Et Philostratus quidem non damnatum tradit, sed voluntario exilio ex hominum oculis excessisse, atque nunc palando nunc latitando saluti suae consuluisse. Quae sunt falsissima, ut pleraque quae de Dione tradidit Philostratus. Hunc tamen secutus est Photius.

Propius a vero abest auctor eorum, quae in Cod. Medic. Plut. 49, 22. et Parisino 2958 Dionis operibus praemissa leguntur; quamquam is quoque manifesto errore narrationem

1) Sueton. Dom. c. 10 et c. 15.

2) Vid. Dion. Orat. T. I. p. 136, 10. et 138, 5. et p. 169, 9.

3) Vid. Xiphil. Domit. Dion. Cass. Reim. p. 1112.

4) T. II. p. 159, 25. ἐν τοσούτοις ἔτεσι φυγῆς. conf. II, 208, 15. et I. 59, 40.

corrupit. Verba eius haec sunt [1]): *ταύτῃ τοι καὶ τῇ τοῦ λόγου χρησάμενος ῥύμῃ καὶ πρὸς Νέρωνα ὑπὲρ τῶν ἑαυτοῦ παῤῥησιασάμενος φίλων ἀειφυγίας κατεδικάσθη καὶ ἦν τῷ ζημιώματι ἐπίτιμος τούτῳ, ἐς ὅτε Ὀυεσπασιανὸν ἡ Ῥωμαίων εὐτύχει πολιτεία, ᾧ συγγενόμενος κατὰ τὴν Νειλῴαν Ἀλεξάνδρειαν καὶ πολλὰ τῶν βασιλεῖ ὑποθέμενος ἀνηκόντων τέλος καὶ τοὺς παρόντας βασιλικοὺς λόγους αὐτῷ ἐξεπόνησεν.* Homo bonus Neronem confudit cum Domitiano; idem recte opinor in perpetuum, in tempus, Dionem relegatum tradidit. Exilio autem, postquam multos annos, ut de reditu eius iam desperaretur, duravit, Domitiani caedes finem adtulit [2]).

Reliquum est, quoniam de tempore satis diximus, ut exploremus, quanam locorum praescriptione Dionis relegatio finita fuerit. Neque enim tota Romanorum imperio ei interdictum est, quod ipsius verbis facile demonstrabitur, sed ut videtur tantum e Bithynia et fortasse Italia relegatus est. Et Roma quidem eum submotum fuisse, ex his eius verbis colligi potest: Oat. I. T. I, 59, 40. *ὡς γὰρ ἔτυχον ἐν τῇ φυγῇ ποτε ἀλώμενος — καὶ πολλήν γε χάριν οἶδα τοῖς θεοῖς, ὅτι με οὐκ εἴασαν θεατὴν γενέσθαι πολλῶν καὶ ἀδίκων πραγμάτων* —. Reliquas terras Romanorum imperio subiectas ei patuisse inde intelligitur, quod ipso relegationis tempore Cyzicum ei licuit adire. Ibi multi eum amici cognatique convenerunt, propius autem patriae fines se accedere voluisse negat, ne exilium aegrius ferre videretur [3]). Eodem pertinet, quod quamvis exulem a multis se vocatum, ut rem publicam apud ipsos gereret [4]), et in Peloponneso se versatum esse scribit [5]).

---

1) Vid. Kays. Philostr. V. S. p. 171.

2) Exilii diuturnitatem demonstrant, quae supra adtulimus. Hinc intelligitur, quomodo locus quidam Orat. I. T. I, p. 61, 43. interpretandus sit: *Καὶ μετὰ τοῦτο δὴ προέλεγεν, ὅτι οὐ πολὺς χρόνος ἔσοιτό μοι τῆς ἄλης καὶ τῆς ταλαιπωρίας, οὔτε σοί, εἶπεν, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις.* Nimirum vergente iam ad exitum Domitiani imperio istud vaticinium ei datum esse fingitur.

3) I, p. 485, 11. *ἐγὼ δὲ οὐκ ἤθελον ἐγγὺς ἰέναι πρὸς αὐτοὺς τοὺς ὅρους* (Bithyniae), *ἀλλὰ ἐδόκει μοι τὸ τοιοῦτον παντελῶς ἀχθομένου τινὸς εἶναι τῇ φυγῇ καὶ ἐπιθυμοῦντος κατελθεῖν.*

4) II, 197, 15.

5) I, 59, 40.

Totum vero exilii tempus circumvagando exegit. Plurimas terras obiit et maximis intervallis inter se distantes. In quo gravissimis adversitatibus conflictatus est; saepe, quo deverteret, non habebat, ac ne unus quidem servus eum comitabatur [1]. Rei familiaris quoque magnum detrimentum cepit. Nam multi ad fraudem abusi sunt eius absentia, e cuius perpetuitate impunitatem sibi fore rebantur [2]. Erronea autem ista vita tamquam divina auctoritate comprobata est. Narrat enim deum Delphicum a se consultum responsum dedisse, pergeret, quae incepisset facere, et extremas orbis terrarum partes adiret [3]. Profectus est vero aestate relegationi proxima Borysthenem, unde Scytharum Getarumque terras obiturus erat. Quod consilium utrum tunc exsecutus sit nec ne, ignoramus; posthac effecit, adhuc imperante Domitiano, Romanorum castra, bellum Dacis inferentium, secutus inermis. Novimus ea ex Orat. Borysthenitica et Olympiaca. Altera harum habita esse fingitur Borythene, sed recitata est a Dione post reditum in patria urbe, Prusae ad Olympum. In Borysthenica II. p. 74. haec leguntur: *ἐτύγχανον μὲν ἐπιδημῶν ἐν Βορυσθένει τὸ θέρος· ὡς τότε εἰςέπλευσα· μετὰ τὴν φυγήν· βουλόμενος ἐλθεῖν, ἐὰν δύνωμαι, διὰ Σκυθῶν εἰς Γέτας; ὅπως θεάσωμαι τἀκεῖ πράγματα ὁποῖά ἐστιν.* V. *ἐάν δύνωμαι* si non temere addita sunt, indicare videntur, illo quidem tempore [4] Dionem ad Getas non esse profectum. At recte tamen Philostr. in Vit. Dionis *καὶ γὰρ δὴ καὶ ἐς Γέτας ἦλθεν ὁπότε ἠλᾶτο* i. e. tempore exilii. Nam Olympiacam Orat. (T. I, p. 379.) habuit e terra Getarum modo reversus, ut ipse in eius initio profitetur. Constat autem istam orationem ante annum 86. non potuisse haberi [5], sed tamen eandem ad Domitiani tempora referendam esse.

Quid vero ad Getarum fines eum deduxit? Scilicet id

---

1) II, 159, 32. II, 201, 5. Suis haec exaggeravit commentis Philostr. in Vita Dion. Ipse aliquanto modestius I, 59, 42. *ἐπῄειν γοῦν ὡς ἐδυνάμην πλείστην γῆν ἐν ἀγύρτου σχήματι καὶ στολῇ τοῦτο μὲν παρ᾽ Ἕλληνας τοῦτο δὲ παρὰ Βαρβάρους αἰτίζων ἀκόλους οὐκ ἄορας οὐδὲ λέβητας.*

2) II, 208, 14. 3) I, 422, 25.

4) I. e. a 83. p. Ch. Nam eum relegatum esse a 82. supra ostendimus.

5) Accuratius de eadem re diximus in censura quadam, in Annalibus Zimmermanni.

agebat, ut res Geticas conscriberet. Quod opus Dioneum nobis aetas invidit; noverat Philostratus, noverat rerum Gothicarum scriptor Iornandes sive Iordanis, qui Getis, si Diis placet, cum Gothis confusis, e Dionis Geticis quaedam excerpsit. De qua re alio tempore atque loco fusius exponemus.

COROLLARIUM.

DIONIS DE INVIDIA ORATIONES DUAE EXAMINANTUR.

Dionis Chrysostomi nomine aliquot nobis commentationes et orationes venditari, ab alio haud dubie auctore profectas, pridem conati sumus ostendere; nec frustra. Nam persuasimus viris quibusdam, quorum summa apud nos est auctoritas. Iam id agimus, ut duas commentationes, scribarum et interpretum incuria divisas, in unam coagmentemus. Res autem tam manifesta est, ut quomodo errari potuerit vix intelligerem, nisi mihi saepe et diligenter Dionem perlustranti, diu idem usu venisset.

Duae reperiuntur operum Dioneorum corpori insertae commentationes de Invidia; Oratt. LXXVII. et LXXVIII., quarum altera alteram excipit. Prior diverbium imitatur Dionis et nescio cuius interlocutoris, et altera orditur certe a diverbio, sed non eodem tenore continuata est. Quippe orationis quasi flumine ablatus solus perorat Dio. Initium disputationis factum est a quodam versu Hesiodeo

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων·

quo Dio ostendit, ne opificia quidem et qui artes exerceant alterum alteri recte invidere, sed saepe tales incidere casus, ut eis aemulos habere vel maxime optabile sit. Quodsi vero ne vir in minoribus quidem artibus illis et opificiis invidiae locus relinquatur, non verendum ne vir sapiens aegre ferat rivales. His verbis prior de invidia commentatio finita est. Altera vero unde infit? Quippe illud ipsum docetur, quod interlocutor quidem Dioni concessit, Dio vero nondum demonstravit, et tota secunda commentatio in hoc argumento versatur. Nihil autem desideratur in initio Orat. LXXVIII. praeter particulam *γάρ*, nisi quis pro v. *ἔτι* — *ἐπεὶ* scribere maluerit. Spondeo autem, ni copulatis, quae

dudum dirempta fuere, eiusdem corporis membris commissura prorsus lateat. — At alia afferamus argumenta. P. 419. v. 19. haec leguntur: *ὥς φησιν ἕτερος ποιητής*. At poëtae nullius in hac quidem commentatione mentio facta est; prior ad Hesiodi versus tota refertur. Nihil igitur difficultatis superest, si trunco caput redditur.

Eadem p. 14. haec leguntur: *ὥστε οὐδ' ἂν φθονήσειεν οὐδενὶ χρυσοῦ ἢ ἀργύρου ἢ βοσκημάτων ἢ οἰκίας ἢ ἄλλου τῶν τοιούτων, ὑπὲρ ὧν ἐλέγομεν*. Haec Casaubonus sibi persuadebat ad priorem de Invidia orationem referenda esse, eamque ideo mutilam esse iudicavit. Quem recte eo nomine reprehendit Reiskius. Revocanda sunt enim ad Orationem de Divitiis LXXIX., quae nunc huic subiecta fertur, sed tempore praecessisse fingitur. Atqui in hac quoque poëta comparet nullus. Itaque v. *ὡς ἕτερος ποιητής* ne ad hanc quidem, quam excepisse fingitur Orat. II. de Invidia, referri possunt. Iam vero nemo sanus, si nudius tertius vel antea aliquem poëtam nominavit, ideo *ἕτερον* dicit *ποιητήν*, si praesertim aliae disputationes intercesserint. Unde efficitur, arctissime cum Orat. I. de Invidia cohaerere alteram O. de Invidia, quoniam ne ea quidem disputatio, quae secundam proxime praecessit, media interponi potest.

Aliud restat veri indicium. P. 427, 45. haec leguntur: *οὐδ' οὕτως πείσεται τὸ τῶν κεραμέων καὶ τεκτόνων καὶ ἀοιδῶν*. Quotusquisque dubitabit, quin ea redeant ad Orat. LXXVII. i. e. ad initium huius orationis?

Res igitur ita se habet. Orat. LXXVII et LXXVIII nulla intercapedine inter se exceperint necesse est, et in eodem versantur argumento, idque sic, ut Oratione LXXVIII continuentur, quorum Orat. LXXVII. initium continet; porro ut nullum compareat praeter omissam copulam discidii vestigium. Nostro igitur iure contendemus, non duas has, sed unam commentationem esse.

V.

EMENDATIONES IN ATHENAEUM [1]).

L. IX, c. 79. T. II, p. 905 Dindorf.
Δημόνικος δ' ἐν τῷ 'Αχελωνίῳ τὸ πρὸ τοῦ δείπνου κατὰ χειρός φησι διὰ τούτων·

'Εσπουδάκει δ' ἕκαστος, ὡς ἂν ἐσθίων
ἅμα τ' ὀξύπεινον ἄνδρα καὶ Βοιώτιον.

τὸ γοῦν κατὰ χειρὸς περιγράφει πᾶς ὅτι μετὰ δεῖπνον αὐτῷ τοῦτο γίγνεται λαβεῖν.
Horum postrema verba non sunt Athenaei sed Demonici, quod ego Dindorfium non latuisse existimo, sed quoniam numeros in his turbatos esse intelligeret, versus eum distinguere noluisse. Nam certum illud quidem, si quid aliud, quia propter v. *κατὰ χειρός* totum locum attulit Athenaeus; ea autem in his demum reperiuntur. Nec numeri adeo sunt depravati, ut facile nequeant restitui; alter enim versus integer est, *μετὰ δεῖπνον αὐτῷ τοῦτο γίγνεται λαβεῖν*; alterius maior certe pars sana. At primum omnium videndum est, ut anthropophagiae crimine liberemus eos, qui hic nescio quid dicuntur fecisse. Nam etsi is, quem dicuntur comedisse, Boeotus erat et vorax et ineptus, attamen homo erat. Nimirum *ἐσθίων* mutandum est in *ἑστιῶν*, hospitio excipiens. Restat ut v. *τὸ γοῦν κατὰ χειρὸς περιγράφει πᾶς ὅτι* vitio liberemus. Sententiam hanc esse oportet: Aquam excludit (deprecatur), affirmans post coenam se huic vacaturum. Scribendum igitur *περιγράφει φήσας ὅτι* vel *περιέγραψε φὰς ὅτι* vel *περιέγραψ' εἴπας ὅτι.* Haec enim omnia et ad sententiam et corrigendi facilitatem pariter apta sunt. Dicit igitur hominem importunum et moribus Boeotum tam voracem fuisse, ut ante coenam

1) Repetitae ex Zimmermanni diar. philoll. a. 1835, nr. 1 sq.

aquam deprecaretur (περιγράφειν imperiosius est, quam παραιτεῖσθαι), eamque affirmaret post coenam se posse sumere.

L. IV, c. 84. p. 399 Dind.

Ἴων δ' ἐν Φοίνικι ἢ Καινεῖ ἀλέκτορα τὸν αὐλὸν καλεῖ ἐν τούτοις·

ἐπὶ δ' αὐλὸς ἀλέκτωρ Λύδιον ὕμνον Ἀχαιῶν.

Haud temere Schweighaeuserus vulgatam scripturam impugnavit. Neque enim Athenaeus tam insubide in excerpendis scriptorum locis versatur, ut vocabula omittat, a quibus reguntur casus obliqui. Ac Schweighaeuserus quidem eiecto v. αὐλός, quod glossema esse sibi persuasit, pro v. ἐπὶ δ' rescribebat ἐπῇδ', quod concedi posset viro optimo, modo, quid Ἀχαιῶν sibi vellet, explicasset. Quod relatum ad v. αὐλός sane intelligi potest, at incommoda tum est verborum collocatio. Equidem pro Ἀχαιῶν reponendum esse ἀχέων (ἠχέων) existimo, ut versus sit paroemiacus.

L. V, c. 39. p. 452 Dind.

Callixeni fragmentum affert Athenaeus, quo ornatissima Ptolemaei Philopatoris navis describitur. Huius fragmenti quaedam verba depravata sunt. Nam postquam de tabulatis, altero alteri superstructis exposuit, sic pergit: ἐπιτερπὲς δ' ἱκανῶς καὶ ἄλλο συμπόσιον (cubiculum) ἦν ἐπὶ τῇ τοῦ μεγίστου οἴκου στέγῃ κείμενον, σκηνῆς ἔχον τάξιν· ὥστε τῇ μὲν οὐκ ἐπῆν ... διατόναια δὲ τοξοειδῆ διὰ ποσοῦ τινος ἐνετέτακτο διαστήματος, ἐφ' ὧν αὐλαῖαι κατὰ τὸν ἀνάπλουν ἁλουργεῖς ἐνεπετάννυντο.

Quae lacunae signa ἐπῆν excipiunt, ea de suo ingenio posuit Dindorfius. Sane primo obtutu ad sententiae integritatem aliquot verba deesse videntur. Verum diligentius considerantem non latebit, lenissima emendatione defungendum esse. Literis enim rectius diductis sic rescribendum est ᾧ στέγη μὲν οὐκ ἐπῆν — „cui tectum quidem non erat superstructum, sed ligna transversaria (vel funes transv. διατόναια), arcuum speciem referentia, certis intervallis disposita erant, quae purpurea aulaea sustinerent." Num διέτετατο pro διετέτακτο scribendum sit, in medium relinquo.

L. IX, c. 43. p. 855 Dind.

Καλοῦνται δὲ οἱ πέρδικες ὑπ' ἐνίων κακκάβαι, ὡς καὶ ὑπ' Ἀλκμᾶνος λέγοντος οὕτως· Ἔπηγε δὲ καὶ μέλος Ἀλκμάν,

εὗρέ τε γλωσσαμενον κακκαβίδων ὄνυμα συνθέμενος. σαφῶς ἐμφανίζων ὅτι παρὰ τῶν περδίκων ᾄδειν ἐμάνθανε.
Haec quomodo a Welckero tentata sint, sciens praetereo. Nam quam olim iniit rationem, eam nunc ipsi viro egregio haud amplius placere credibile est. Qualem sententiam in eis inesse oporteat, Athenaei verba ostendunt, videndum igitur, quibus ea emendationibus Alcmani restitui possit.

Ac primum quidem *ἐπῆγε* vel *ἐπήγαγε* (quod est in editione Casauboniana) non genuinum. Nam Alcmani dicendum erat *ἐπᾶγε* vel *ἐπάγαγε*. Neque *ἐπάγειν* novi quid introducere significare potest. Porro *γλωσσαμενος* vox est aliunde haud cognita, nec dubito, quin mendosa. Denique *ὄνομα* (sive *ὤνομα*) vel maxime suspectum. Quapropter ego et metro et sententiae sic ausim mederi:

— — *ἔπη τε δὲ καὶ μέλος*
Ἀλκμὰν εὗρε τὸ γλώσσαλγον υ υ (*ποκα* vel *θαμά*)
κακκαβίδων στόμα συνθέμενος. — —

Et verba et numeros (i. e. verba numeris adstricta) invenit Alcman imitatus perdicum garrulum os. *συνθέσθαι* significat pro exemplo sibi proponere aliquid, *σύνθημά τι ποιεῖσθαι*. Haec lenissima est emendandi ratio, si sequimur scripturam *ἐπῆγε*. Ad alteram emendationem ducit scriptura *ἐπήγαγε*. Nam sic quoque scribi possit

ἔπη τάδε καμμέλος
Ἀλκμὰν εἶρε.

Haec verba numerose conserebat Alcman cett. Metrum e dactylicis tetrametris constat. Eodem numerorum genere incedit aliud eiusdem poëtae fragmentum L. XI, c. 100. p. 1119 Dind. In quo obiter moneo versus 4. scripturam *χερσὶ λεόντειον γάλα θεῖσα*, etsi egregie excogitatam, tamen suspicioni obnoxiam esse. Nam primum numerorum continuitas, omnibus versibus pertinens, syllabam ancipitem haud admittere videtur; deinde Aristidis verba *ὥσπερ καὶ λεόντων γάλα ἀμέλγειν ἀνέθηκέ τις αὐτῷ Λακωνικὸς ποιητής* aliam commendant emendationem. Facile enim *θῆσθαι* scribetur, suspensum illud e v. *χρύσεον ἄγγος ἔχοισα*, ad mulgendum.

L. X, c. 67. T. II, p. 990 Dind.

Σὺ δὲ πιὼν μὴ φοβηθῇς· σώσεις δὲ τοὐπίσω μελέων καταπεσεῖσθαι. τοῦτο γὰρ παθεῖν οὐ δύνανται οἱ τὸν κατὰ Σιμωνί-

δην πίνοντες οἶνον ἀμύντορα δυσφροσυνᾶν· ἀλλ' ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ μέθης, εἰς τὰ νῶτα καταπίπτουσιν οἱ τὸν κρίθινον οἶνον πεπωκότες, ὃν πῖνον καλοῦσι. Ipsius haec Athenaei verba sunt, eoque non magna sane iactura depravata. At ne qui suspicetur, latere in eis, quod scire operae pretium sit, exponam quomodo emendanda esse videantur. In plerisque Codd. scriptum est non μελέων sed μελάων i. e. μέλλων; σώσεις haud dubie sic ortum est, ut littera σ verbi praecedentis perperam bis exararetur. Postremo cum ὡς εἰς in σώσεις abiisset, nescio quis de nexu sententiarum sollicitus particulam δὲ suo Marte interposuit. Legendum est hunc in modum: φοβηθῇς, ὡς εἰς τοὐπίσω μέλλων καταπεσεῖσθαι.

L. XIV. c. 66. T. III, p. 1451 Dind.

Melanippidae Melii poëtae haud infrequens est apud veteres scriptores mentio, et quaedam etiam carminum eius fragmenta supersunt. Huius nominis unum modo fuisse existimaremus, nisi duos fuisse Suidas s. v. Μελανιππίδης doceret, alterum natu maiorem, Critonis filium, qui Ol. 65. 520 a. Chr. floruerit, alterum huius e filia nepotem, qui familiariter usus sit Perdicca rege Macedoniae (ab a. 454—413). Maiorem illum omnis propemodum generis poëmata condidisse, idem refert lexicographus, tragoedias, dithyrambos, epica poëmata, elegos, epigrammata; minorem ᾄσματα et dithyrambos scripsisse affirmat. Iam quoniam ab reliquis, qui Melanippidam commemorant, auctoribus non distinguitur a maiore minor, saepe difficillimum est dignoscere, uter intelligendus sit. De quo hoc mihi constat, ubicunque mentio fit Melanippidae, minor potest intelligi, plerumque debet; ad maiorem qui necessario referatur, nullus exstat locus, qui possint referri, aliquot.

Hoc temere eis videbor dixisse, qui Melanippidae e tragoediis fragmenta nobis servata esse opinantur; sicut Proserpina et Danaides et Marsyas ad dramaticum genus a plerisque revocantur. Nam minori Melanippidae cum tragoediae a Suida non tribuantur, tribuantur maiori, etiam fragmenta illa maiori sunt vindicanda, si modo tragica sunt. Quod iure equidem videor negare. Primum enim, quaecunque exstant Melanippidae fragmenta, exstant autem septem vel octo, metra habent lyrica. Porro e Marsya versus quos profert Athenaeus L. XIV, c. 7. p. 1370 Dind.

— — — ἁ μὲν Ἀθάνα
ὄργαν' ἐῤῥιψέν θ' ἱερᾶς ἀπὸ χειρὸς
εἶπέ τ', ἔῤῥετ' αἴσχεα σώματι λύμα
ἤ με τᾶδ' ἐγὼ κακότατι δίδωμι

non facile quis per se spectatos tragicos esse dixerit. Accedit quod Athenaeus haec illis subiicit: ἀλλ' ὅ γε Σελινούντιος Τελέστης τῷ Μελανιππίδῃ ἀντικορυσσόμενος ἐν Ἀργοῖ ἔφη cett. Telestes vero clarus fuit dithyrambopoeus, et quae sequuntur eius fragmenta dithyrambo vel maxime decora sunt [1]. Atqui credibile est, eodem carminum genere a Telesta explosum esse Melanippidam, in ea praesertim totius coloris similitudine. Quamquam Telestam comicum fuisse Suidas testatur. Iam vero Telestes Selinusius dithyrambopoeus, si Diodoro fides est (L. XIV, c. 46. conf. Ath. II, 104), floruit Olymp. 95, 3. 398 a. Chr. Itaque minori potius Melanippidae Marsyas vindicandus est. Nam aequalem, vel paene aequalem impugnasse Telestam, propius abest a veri similitudine. E Proserpina Melanippidae haecce leguntur apud I. Stobaeum (Ecl. L. I, c. 52. p. 1006 Heer.), exscripta ex Apollodoro: Ἀχέροντα μὲν διὰ τὰ ἄχη, ὡς καὶ Μελανιππίδης ἐν Περσεφόνῃ:

καλεῖται δ' ἐν κόλποισι γαίας
ἄχεα βροτοῖσι ῥέων Ἀχέρων,

sive quis alia ratione postremum versum corrigere maluerit, qui sic scriptus est in libris Mss. ἀχέοισι προχέων Ἀ. Haec cur tragica putanda sint, equidem non perspicio, non magis,

---

1) Eiusdem etiam Aesculapius, cuius fragmentum eodem loco posuit Athenaeus, dithyrambus fuisse videtur. Aliud fragmentum sic citat Athenaeus: Τελέστης ἐν ὑμεναίῳ διθυράμβῳ (L. XIV, c. 40. p. 1414 Dind.), quod cum illis similis argumenti est. Tam clari autem Telestae erant dithyrambi, ut Alexander cum aliis optimae notae poëmatis in Asiam eos sibi transmitti iusserit (Plut. Alex. c. 8). Obiter Telestae ex Argone fragmentum quomodo corrigi possit indicabo. Μετὰ ταῦτα δὲ, inquit Athenaeus, ἐγκωμιάζων τὴν αὐλητικὴν

λεγε γαν οὐ μεριθοτάταν Βρομίῳ παρέδωκε σεμνᾶς δαίμονος ἀερθὲν
πνεῦμ' αἰολοπτερύγων σὺν ἀγλαᾶν ὠκύτατι χειρῶν.

Haec ita quispiam emendaverit — τὴν αὐλητικὴν λέγει

γάνους μερίδ' ἱροτάταν Βρομίῳ παρέδωκε σεμνᾶς δαίμονος ἀερθὲν
πνεῦμ' ἀελλοπτερύγων σὺν ἀγλαᾶν ὠκύτατι χειρῶν.

Dulcedinis sanctissimam partem Baccho impertivit Minerva tibia canens.

quam cuius tragoediae Proserpina titulus fuerit. De Danaidibus dicetur infra. Quod vero apud Clem. Alex. Strom. L. V, p. 602 exstat fragmentum

κλῦθί μοι ὦ πάτερ θαῦμα βροτῶν
τᾶς ἀειζώου ψυχᾶς μεδέων

haud dubie non est tragicum, siquidem sic ea introduxit Clemens *ὁ μελοποιὸς δὲ Μελανιππίδης ᾄδων.* Itaque apparet, adhuc sola Suidae auctoritate tragoedias Melanippidae tribui, reliquos auctores et ipsa fragmenta, quorum ea tantum adtuli, quae cum veri quadam specie ad tragoedias referantur, non facere ad istam opinionem. Ut dicam quod sentio, ipsi carminum tituli, Danaides, Proserpina, Marsyas, Aesculapius, Argo, induxisse videntur lexicographum sive eius auctorem, ut hunc tragicis, Telestam comicis poëtis adnumeraret.

Mittamus igitur illam Melanippidarum distinctionem, quae e tragicis fragmentis petita est. Accedamus ad reliqua scriptorum testimonia.

Plutarchus de Mus. c. 30 Melanippidam ut musicae corruptorem accusat, in quo viam ei praeierit Lasus Hermionensis. Is Pisistratidarum fuit aequalis (Herod. 7, 6). Itaque nihil obstat, quin maior intelligatur Melanippides. Ibidem in Pherecratis Comici fragmento ita cum Cinesia, Phryni, Timotheo, Philoxeno componitur Melanippides, ut eum his aetate maiorem fuisse appareat [1]). Quod trahi potest ad utrumque. Illud veteris musicae depravatae opprobrium eo maxime constare videtur, quod deserta dithyramborum antistrophica ratione longiores fecerit anabolas (conf. Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 716). Id autem in minorem procul dubio cadit Melanippidam. Nam Aristophanes, qui plus uno loco acriter exagitavit dithyramborum anabolas, sic loquitur, ut eum ingruenti depravationi obviam ire appareat, non vetustam et tritam reprehendere.

Porro Aristoteles (Rhet. 3, 9) Democriti Chii medici dicterium in Melanippidam refert: *ἡ δὲ μακρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιη-*

1) Huius fragm. v. 13

ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποις οὕτως ἦν ὅμως ὅμως

etiamnum mihi sic videtur corrigendus esse, ut significavi in Programm. de Dionis Chrysost. Orat. Corinthiaca p. 25.

ἀλλ' οὐν ἀνεκτὸς οὗτος ἦν ὅμως ἐμοί.

σαντι κακίστῃ. Iste medicus si fuit, ut volunt, Democriti philosophi aequalis, minor intelligendus est Melanippides.

Philoxenum Cytherium nobilem poëtam Melanippidae servum fuisse Suidas testatur, minoris, ut temporum ratio docet.

Quod autem Plutarchus Melanippidae primum Lydiae harmoniae usum tribuit, in tanto de ea re dissensu perambiguum est (Plut. de Mus. c. 15).

Aliam minoris, ut videtur, M. notationem eiusdem habet Plut. locus (Non posse suaviter vivi secund. Epicur. c. 13. T. 14. p. 103 Hutt.) *οὐδὲ Ἱέρων γ᾿ ἂν οὐδὲ Ἄτταλος οὐδ᾿ Ἀρχέλαος ἐπείσθησαν Εὐριπίδην καὶ Σιμωνίδην καὶ Μελανιππίδην καὶ Κράτητας καὶ Διοδότους ἀναστήσαντες ἐκ τῶν συμποσίων* cett. Praeclara est Reiskii coniectura, qui post v. *Ἀρχέλαος* Perdiccae nomen excidisse suspicatur, apud quem Melanippidam haesisse Suidas testis est; nisi forte cum Perdicca Archelaum successorem confudit Plutarchus. Sed hic etiam locus nihil demonstrat. Nam Hiero, qui viros tota Graecia ingenio et doctrina celeberrimos ad se evocaret, Melanippidam quoque maiorem arcessere potuit, quamquam, quod ego sciam, de ea re nullum exstat disertum testimonium.

Haec praemonenda erant de Melanippida, non quo cuncta congererem, quae ad eum pertinent, sed ne quis me temeritatis argueret, si Danaidas, quorum fragmentum iam tractaturus sum, non tragoediam sed lyricum carmen fuisse contendo, idque minori potius assigno, quam maiori Melanippidae. Quo metra quoque ducere videntur, a tragica poësi, opinor, aliena. Egit de eo fragmento novissimus Boissonadus (Tom. XV. Poët. Graec. Syll.); Dindorfius se acturum professus non stetit promisso. Est autem hoc: *Μελανιππίδης δ᾿ ὁ Μήλιος ἐν ταῖς Δαναΐσι φοίνικας τὸν καρπὸν οὕτως ὀνομάζει, τὸν λόγον ποιούμενος περὶ αὐτῶν· „τῶν γὰρ αΐδων οὐ γὰρ ἀνθρώπων φόρευν μορφὰν ἐνεῖδος· οὐδὲ τὰν αὐτὰν γυναικείαν ἔχον· ἀλλ᾿ ἐν ἁρμάτεσσι διφρούχοις ἐγυμνάζοντο ἄνευη λιασδέα πολλάκι θῆρες φρένα τερπόμεναι, ἱερόδακρυ λίβανον εὐώδεις τε φοίνικας κασίαν τε πατεῦσαι τέρενα Συρίας τέρματα."* Itaque ipsi conabimur, quatenus eius fieri possit, vulgatae scripturae vulnera sanare. Primum non obscurum est, v. *τῶν γὰρ αΐδων* cum Athenaei oratione copulanda esse, sic scripta *τῶν Δαναΐδων.* Apparet enim de ipsis Danaidibus in frag-

mento agi, *περὶ αὐτῶν* vero per se positum vix potest ad Danaidas referri, quae in proximis non ut personae, sed ut nomen poëmatis commemoratae sunt. Vidit hoc Boissonadus quoque, et videre quemvis oportet, qui rem ipsam et ductus litterarum non obiter examinet. Itaque Melanippidae verborum hoc est initium: *οὐ γὰρ ἀνθρώπων φόρευν*. In his vitium inesse, neminem existimo latere. An humanam speciem et figuram a Danaidibus abiudicasse poëtam dicemus? Certe cum reliquae fragmenti partes, tum v. a Casaubono egregie emendata *οὐδὲ τὰν αὐδὰν γυναικείαν ἔχον* satis demonstrant, virorum mores, non ritum belluarum, eis a poëta tributos esse. Quapropter rescribendum videtur *οὐ παρθένων φόρευν*. Nam v. *ἄνθρωπος* fere compendio exaratur in libris vetustis. Itaque facile potuit accidere, ut, cum syllaba *π α ρ* perperam disiuncta esset a posteriore vocis parte, *θ ε ν ω ν* pro isto compendio haberetur.

Pervenimus ad v. *μορφὰν ἐνεῖδος*. Posterior vox neque est Graeca, neque potest esse. Equidem non dubito, quin *μορφᾶεν εἶδος* reliquerit Melanippides.

Proxima restituit Casaubonus v. *αὐτάν* in *αὐδάν* mutato. Hinc maiores nos excipiunt difficultates. Omittamus iam v. palam corrupta *ἀνευηλιασδεα*; summam totius loci contemplemur sententiam.

Si vere iudicavimus viriles Danaidibus mores adscribi, nihil potuit aptius inveniri, quam aurigatio et venatio. Nulla enim dubitatione eorum sequor sententiam, qui *θῆρες* in *θήραις* mutandum esse censuerunt. At alterum distinguendum erat ab altero; nam quis in venatione curru vehitur? Hinc Boissonadi emendationem respuo, qui sic ista verba corrigebat

— — *ἐγυμνάζοντ᾽ ἀν᾽ εὐ-*
ήλι᾽ ἄλσεα cett.

Eadem alio quoque vitio laborat. Nam *εὐήλιος* alienum est a dialecto Dorica, quam toto carmine pertinere consentaneum est. Itaque *ἤ* illud servandum puto, quo distinguatur ab aurigatione venatio. Videntur enim ita haec scribenda esse

— — *ἐγυμνάζοντ᾽ ἂν εὖ*
ἢ δι᾽ ἄλσεα π.

„probe exerceri solebant"; ut *ἐγυμνάζοντο* ad proximam quoque periodi partem referatur.

Superest postrema pars fragmenti. In quo permirum est, Danaides dum venantur libanotum, et palmarum poma, denique casiam pedibus calcare; casiam dico, quam palustrem fuisse ex Herodoto discimus. Alioquin non male cum istis Danaidum moribus congruere cuipiam videatur, quod quae alii studiose colligant, ea contemnant et pedibus calcantes pessumdent. At corruptelae suspicionem auget, quod in libris P. V. L. apud Dindorfium κατεῦσαι, non πατεῦσαι exaratum est.. Videndum igitur ne ματεῦσαι „quaerentes" voluerit Melanippides. Nam reperitur etiam rarior forma ματέω pro ματεύω. Ita si legimus, ante ἱερόδακρυν (sic recte iam Casaub.) interponenda est particula ἤ, vel εἴτ', si quam hiatus offensionem habet, quod in particula ἤ sequente ι vix crediderim. Si quis vero muliebre potius illud opus, quam quod *viragines* deceat, fuisse existimat, eum haud recte statuere opinor. Virgines enim regias in muliebribus conclavibus domi versari decebat, non vagari extra aedes; accedit, quod libanotus certe haud citra periculum colligebatur (Herod. 3, 10). Denique τέρματα mutandum est in σπέρματα, quod iam Fiorillo repperit; φέρματα, in quod facile quispiam inciderit, ad corrigendi facilitatem minus probabile est. Reliquum est, ut totum locum, emendatiorem, ut mihi persuadeo, versibus quoque rite separatis, adscribam:

— — οὐ παρθένων φόρευν
μορφᾶεν εἶδος, οὐδὲ τὰν αὐδὰν γυναικείαν ἔχον·
ἀλλ' ἐν ἁρμάτεσσι διφρούχοις ἐγυμνάζοντ' ἂν εὖ,
ἤ δι' ἄλσεα πολλάκι θήραις φρένα τερπόμεναι
ἤ ἱερόδακρυν λίβανον εὐώδεις τε φοίνικας κασίαν τε ματεῦσαι
τέρενα Συρίας σπέρματα.

VI.

IN ALIQUOT LOCOS AESCHYLI [1]).

Commentaturus aliquot locos Aeschyleos, quid futurum esset divinabam. Nam eam videbam huius scriptoris sortem esse, ut qui in eo emendando operam collocarent, plerasque suas coniecturas ipsi mox retractarent, nedum ut eas probarent aliis. Multa vero, et, ut mihi quidem videtur, aliquanto plura, quam vulgo agnoscitur, corrupta ad nos pervenerunt. Quid enim? Antequam leges metricae rectius essent exploratae, multa apud Aeschylum, quoniam in sententia nihil inerat offensionis, sine ulla mendae suspicione legebantur, quae nunc damnantur omnium consensu. Metrica vero doctrina nondum absoluta est; quae quo diligentius cum in genere exculta fuerit, tum singulorum scriptorum ad proprietatem exacta, novae existent difficultates. Perraro enim illud futurum esse mihi persuadeo, ut accuratior metricae Aeschyleae cognitio locorum nunc suspectorum fidem augeat. At mitto nunc metricam doctrinam; in ipsa oratione satis documenti est. Etenim si comparaverimus eas fabulas, quas secunda quaedam fortuna a librariorum atque temporum iniuria ita vindicavit, ut mediocriter depravatae ferantur — Prometheum dico, Persas, Septem ad Thebas — cum reliquis, plurimum interesse facile reperiemus. In illis oratio fastum sane et magniloquentiam habet, attamen perspicua est et apta; in istis multa inveniuntur, quae etsi quidam ea se intelligere simulent, me nunquam devoraturum esse, ingenue profiteor. Eiusmodi igitur locis si manum admovere audeam, lectores animo sic comparatos esse velim, ut interpretationi subinde emendationem praeferendam esse iudicent. Restat ut lubens agnoscam, si quid inest bonae

1) Ex Zimmermanni diar. phill. a. 1835, nr. 78. 79.

frugis in hac disputatione, id magnam partem deberi viris mihi coniunctissimis, Bambergero et Schneidewino. Dicetur autem primum de duobus Choephorarum locis; plures in Agamemnonem coniecturae proferentur. Quae si viris doctis haud displicuerint, mox alia accedent.

Choephor. v. 578.

πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει
δεινὰ δειμάτων ἄχη,
πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων
ἀνταίων βροτοῖς
πλάθουσι· βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι
λαμπάδες πεδάοροι,
πτηνά τε καὶ πεδοβάμονα· κἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.

Sententia horum verborum qualis debeat esse, non est obscurum. Hoc enim dicendum est poëtae, et terram et mare et aërem plenum esse monstrorum et portentorum perniciabilium. Priora verba nihil habent difficultatis. Sed intelligi nequeunt sequentia *βλαστοῦσι καὶ* cett., quae referri oportet ad res in aëre horrendas. Atqui v. *βλαστοῦσι* iam eo suspectum est, quod participium aoristi cum tota verborum compage neutiquam conciliari potest; praesens vero *βλαστέω* vix reperiatur apud Atticos scriptores. Quapropter hanc potissimum vocem corruptelae sedem esse mihi persuadeo, totum vero locum sic corrigendum esse:

βλάπτουσι (pro *βλαστοῦσι*) *καὶ πεδαιχμίῳ* (sic Herm.)
λαμπάδες πεδάοροι
πτηνά τε καὶ πεδοβάμονα, κἀνεμόεντ' ἂν
αἰγίδων φράσαι κότον.

Λαμπάδες [*ἐν*] *μεταιχμίῳ πεδάοροι* fulgura sunt, quae hominibus atque belluis, sive volucribus sive terram calcantibus noxia sunt. Praeter haec procellae memorandae erant; has ita significavit: *ἀνεμόεντα κότον αἰγίδων: φράσαι* autem, quod iam non destitutum est particula *ἄν*, pro subiecto habet antecedentis enunciationis obiectum *πτηνά τε καὶ πεδοβάμονα*. Denique *φράσαι ἄν* significat: experiuntur, ut qualis sit dicere possint (sie können davon nachsagen).

V. 472. Wellauer. Orest.

πάτερ τρόποισιν οὐ τυραννικοῖς θανών,

αἰτουμένῳ μοι δὸς κράτος τῶν σῶν δόμων.

Electr.

κἀγὼ πάτερ τοιάνδε σου χρείαν ἔχω

φυγεῖν, μέγαν προςθεῖσαν Αἰγίσθῳ μόρον.

Apposui etiam Orestae verba, unde intelligeretur, qualia fere eius sororem dicere oporteat. Φυγεῖν autem utcunque acceperis, absurdum est. Neque enim ut effugiat periculum, sed ut vincat et aliquam e victoria utilitatem percipiat, eam precari oportet, sicut Orestes patrimonii possessionem sibi poscit. Porro μόρον τινὶ προςτιθέναι dictio est, si recte memini, saltem poëtis parum usitata. Denique μέγαν Wellauerus sane i. q. δεινόν esse affirmat, verum ut μέγαλα πράγματα, μεγαλόμητις, alia, horrendi notionem contineant, non continuo μέγας μόρος mors terribilis vel μέγας ἀνήρ vir horrendus dici poterit. Itaque si comparaveris proxima Electrae verba

κἀγὼ χοάς σοι τῆς ἐμῆς παγκληρίας

οἴσω πατρῴων ἐκ δόμων γαμηλίους,

hanc loci emendationem a vero haud procul abesse intellexeris

οἰκεῖν μετ' ἀνδρὸς (pro φυγεῖν μεγανπρος) θεῖσαν Αἰγίσθῳ μόρον,

i. e. συνοικεῖν ἀνδρί. Quid enim tam consentaneum est, quam virginem aliquod sibi matrimonium a diis precari, quod etiamnum facere consuerunt, etsi non palam et disertis verbis. In quo plus licuit virginibus antiquis, quae de caelibe sua atque orba vita saepe lamentantur.

Agam. v. 407.

ὀμμάτων δ' ἐν ἀχηνίαις

ἔῤῥει πᾶσ' Ἀφροδίτα.

Vox ἀχηνία praeter hunc locum sicubi reperitur apud Aeschylum, eam obtinet versus sedem, ut qua sit quantitate prima syllaba nequeat intelligi. Verum apud Theocritum Id. 16, 33 ἀχήν productam priorem habet syllabam. Hesychius vero aliam huius verbi formam ἠχήν commemorat. Videndum igitur, ne ἀγληνία Aeschylus scripserit, ad sententiam vel aptius, quam quod vulgatur.

472. πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται

ταχύπορος, ἀλλὰ ταχύμορον

γυναικογήρυτον ὄλλυται κλέος. (De v. γυναικογήρυτον conf. Progr. Ahrensii Ilfeld. 1832.)

Verbum ὅρος quomodo intelligendum sit, equidem non perspicio, nec ulla earum, quae prolatae sunt, explicationum rationem habet. Sententia vero quae desideretur, demonstrant sequentia; muliebris, inquit, rumor celeriter disseminatur. Et metro igitur et sententiae respondebit ὕθλος pro ὅρος repositum, quod literis maiusculis scriptum haud procul abest a vulgatae scripturae ductibus, si praesertim alteram formam ὕσθλος in vetere quodam exemplo exaratam fingas

ΘΗΛΥΣ ΥΣΘΛΟΣ.

Ceterum conferas v. 1125, in quo permiro modo idem verbum ὅρος usurpatum est. Sed ne ille quidem locus multum ad hunc defendendum confert,

πόθεν ὅρους ἔχεις θεσπεσίας ὁδοῦ
κακοῤῥήμονας;

ὅρος ὁδοῦ habet offensionem, et coniecerit quispiam πόθεν ὁ δ ο ὺ ς ἔχεις θεσπεσίας θ ρ ό ο υ κακοῤῥήμ ο ν ο ς.

475. τάχ' εἰσόμεσθα λαμπάδων φαεσφόρων
φρυκτωριῶν τε καὶ πυρὸς παραλλαγάς cett.

Tam inutilem verborum cumulationem Aeschylo indignam esse existimo, et glossematis quibusdam in orationis continuitatem receptis, in duos versus unum distractum esse. Scribo

τάχ' εἰσόμεσθα λαμπάδων παραλλαγάς.

533. πόθεν τὸ δύςφρον τοῦτ' ἐπῆν στύγος στρατῷ;

Suo iure editores ad v. στρατῷ offenderunt. Etsi enim satis constat, στρατόν etiam populum significare, at ab hoc certe loco, quo populus vel potius Chorus exercitui opponitur, alienum est. Rescribendum videtur

— στύγος φρενῶν.

Postrema vox cum omissa esset, inventus est, qui e priore exercitus mentione parum caute στρατῷ suppleret.

580. — καὶ γυναικείῳ νόμῳ
ὀλολυγμὸν ἄλλος ἄλλοθεν κατὰ πτόλιν
ἔλασκον εὐφημοῦντες ἐν θεῶν ἕδραις
θυηφάγον κοιμῶντες εὐώδη φλόγα.

Κοιμῶντες qui defendunt, post finitum sacrificium clamores faustos aiunt editos esse. Qui sive negant, ullo alio sacrificii tempore quam in ipso fine eiusmodi clamores edi solitos esse, incredibilia contendunt, cum alioqui fausto clamore auspicari rem quamvis consuerint veteres; sive praeter finem aliis quoque

sacrificii temporibus ὀλολυγμόν concedunt, exponant necesse est, cur a clamoribus postremis initium praepostere fecerit regina. Quapropter cum inepta sit vulgata scriptura, pro κοιμῶντες reponendum duco κνισῶντες. — Forsitan de v. θοινῶντες quispiam cogitaverit, quod cum v. θυηφάγον egregie convenit. Sane θοινᾶν quod ego sciam nusquam legitur significatione activa; sed θοινάτωρ apud ipsum Aeschylum is est, qui coenam praebet.

592. γυναῖκα πιστὴν δ' ἐν δόμοις εὕροι μολών.
Priusquam, quid optativus εὕροι sibi velit, explicatum fuerit, ἐρεῖ scribendum existimabo.

601. αὕτη μὲν οὕτως εἶπε μανθάνοντί σοι
τοροῖσιν ἑρμηνεῦσιν εὐπρεπῶς λόγον.

Haud dubito equidem, quin quae his verbis inesse debeat sententia, Schützius viderit; Clytaemnestram et omnium gnaro et nuncio adhuc ignaro adcommodate locutam esse. Nam si reginae verba exploramus diligentius, ambigue omnia dicta sunt, et ita quidem ut actor docta vocis modulatione facile ambiguitatem istam spectatorum animis repraesentaret. Quale illud est πιστὴν οἵανπερ οὖν ἔλειπε. Nam ut infra ipsa gloriatur, post Iphigeniae immolationem continuo de marito ulciscendo cogitaverat. Porro δωμάτων κύνα ἐσθλὴν ἐκείνῳ πολεμίαν τοῖς δύςφροσιν, si verba ita distinguuntur: ἐσθλήν, ἐκείνῳ πολεμίαν, τοῖς δύςφροσιν, contrarium significant. Igitur actorem haec suspenso et incerto vocis momento proferre oportebat. Eandem ambiguitatem habent proxima σημαντήριον οὐδὲν διαφθείρασαν ἐν μήκει χρόνου, quae significant, per longum illud temporis spatium nullum solvi sigillum; eadem vero hoc etiam possunt indicare, nullum longo tempore solvi sigillum i. e. omnia statim solvi. Denique postrema verba οὐδ' οἶδα τέρψιν οὐδ' ἐπίψογον φάτιν ἄλλου πρὸς ἀνδρὸς μᾶλλον ἢ χαλκοῦ βαφάς ambiguitatem continent haud dubiam; quamquam ne Chorus quidem plenam eorum mentem perspicere poterat, utpote cruenti reginae consilii ignarus. Eam ipsam ob caussam verbis usa videtur praeter illam ambiguitatem obscurioribus, ἢ χαλκοῦ βαφάς. His igitur rite perpensis verba ista sic emendanda iudico

αὕτη μὲν οὔπω τ' εἶπε μανθάνοντί σοι
τοροῖσι θ' ἑρμηνεῦσιν εὐπρεπῶς λόγον.

Τορὸς ἑρμηνεύς recurrit v. 1032.

628. πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων
διπλῇ μάστιγι —

Nondum vidi equidem, qui v. ἐξαγισθέντας commode interpretatus sit. Cum sententia conspirabit ἐκραπισθέντας, qualis imago optime convenit praeconi, de cuius persona docte nuper disputavit Bambergerus Programm. Gymnasii Prim. Brunsvic. 1835. p. 21. [Ἐκραπισθέντας dixi scribendum mihi videri, de sententia magis, quam de correctionis probabilitate sollicitus. At reponendum erat ἐξαλισθέντας, quod et ipsum imagini decorum est, et ut verbum insolentius facile fallebat librarios. Conf. Aristoph. Nub. 33. ἐξήλικας μ' ἐκ τῶν ἐμῶν].

699. μεταμανθάνουσα δ' ὕμνον
Πριάμου πόλις γεραιά,
πολύθρηνον μέγα που στένει
κικλήσκουσα Πάριν τὸν αἰνόλεκτρον
παμπρόσθη πολύθρηνον αἰῶν' ἀμφὶ πολιτᾶν
μέλεον αἷμ' ἀνατλᾶσα.

In his primum corrigenda est interpunctio, deleto commate post γεραιά eoque ante μέγα reposito; πολύθρηνον autem cum v. μεταμανθάνουσα coniungendum est. Vox παμπρόσθη a nemine, quod ego sciam, defensa est, nec, opinor, defendetur. Porro v. αἰῶν' ἀμφὶ πολιτᾶν strophicis, quibus nullum inest corruptelae indicium, non respondent. Omnes tollentur difficultates, si ita rescribimus

τὰν πρόσθεν πολύθρηνον αἰῶ διαὶ πολιτᾶν

sive in stropha ἐπ' ἀεξιφύλλους malueris,

— αἰῶνα διαὶ πολιτᾶν.

In vetustis enim libris ταμπροσθεν exaratum erat. Sententia haec est: Priami civitas opinor gemitum edit, postquam priora tempora propter continuas civium caedes tristia perpessa est. Iam intelligitur πολύθρηνον recte repetitum esse; et nunc, inquit, et antea flebilis eius sors fuit. Ἀμφί ex metrici syllabas numerantis correctione, qui in suo exemplo διά reperiret, in vetustos libros irrepsisse videtur. [Παμπρόσθη haud scio an facilius in κἄμπροσθεν (καὶ ἔμπροσθεν) mutetur, quam, quod commendavi, τὰν πρόσθεν].

752. τὰ χρυσόπαστα δ' ἐσθλὰ σὺν πίνῳ χεροῖν.

Ἐσθλά corruptum esse iudicavit Wellauerus. De quo si mihi

constaret, commendarem ἔσθεα. Sed χρυσόπαστα ἐσθλά non minus recte dicetur quam v. 897 *ἐν ποικίλοις δὲ θνητὸν ὄντα κάλλεσιν βαίνειν.*

788. *ἀνδροκμῆτας Ἰλίου φθορὰς*
ἐς αἱματηρὸν τεῦχος οὐ διχοῤῥόπως
ψήφους ἔθεντο.

Wellauerus *ἀνδροκμῆτας φθοράς* regi opinatur a v. *ψήφους ἔθεντο.* Quod facile paterer, si non addita essent verba *ἐς αἱματηρὸν τεῦχος.* Equidem mihi persuadeo scribendum esse
ἀνδροκμῆτος Ἰλίου φθορᾶς.

Genitivus suspensus est e v. *τεῦχος.* Videtur enim Aeschyli animo Areum iudicium obversatum esse, in quo ut refert Schol. Aristoph. Av. *δύο καδίσκοι ἦσαν τῶν ψήφων, εἷς μὲν τοῦ ἐλέου, ὁ ὀπίσω, ἕτερος δὲ, ὁ ἔμπροσθεν, τοῦ θανάτου.* Conf. Lycurg. in Leocrat. p. 241. §. 149. Bekk. ap. Reisk. p. 169. locus vulgo corruptus, quem in libello de Dione Chrysostomo sic emendandum esse significavi: *καὶ δυοῖν καδίσκοιν κειμένοιν τὸν μὲν προδοσίας, τὸν δὲ σωτηρίας εἶναι, καὶ τὰς ψήφους φέρεσθαι τὰς μὲν* cett. Pro *εἶναι καί* vulgatur *εἵνεκα.*

793. *ἄτης θύελλαι ζῶσι· συνθνήσκουσα δὲ*
σποδὸς προπέμπει πίονας πλούτου πνοάς.

Hic locus ex eorum genere est, qui reliquis haud suspectus mihi vel maxime laborare videtur. Primum illud *συνθνήσκουσα* quid sibi vult? Num simul cum Atae procella exstinguuntur cineres? At illa procella vivit. Quid igitur hoc rei est: Simul cum superstite Atae procella moriuntur cineres? An secum simul moriuntur, i. e. omnibus partibus simul exstinguuntur? Quod alienum est a re et veritate. Tertium vero non relinquitur. Itaque existimaverit quispiam scribendum esse *ζῶσιν· ἐνθνήσκουσα δέ.* Sed morbus, opinor, altius haeret. Quid enim est Atae procella? Num aliud quam Troiae expugnatio et incendium? Qua igitur ratione postquam deflagravit Ilion Atae procella vigere dicetur? Vivit expugnationis memoria, vivunt dirutae urbis monumenta, parietinae, verum ipsa procella haud dubie resedit. Hanc igitur sententiam poëtae restituendam esse existimo. Quod fieri potest hunc in modum

Ἄτης θύελλ' ἀπέζεσεν· θνήσκουσα δὲ cett.

849. πολλὰς ἄνωθεν ἀρτάνας ἐμῆς δέρης
ἔλυσαν ἄλλοι πρὸς βίαν λεληιμμένης.

V. λεληιμμένης non mihi primo incommodum visum est, et habet sane offensionem. Nam quid opus erat λαμβάνειν reginam ad laqueum solvendum? Facilius paterer verbum, quod tollendi notionem haberet. At quod reponebat Blomfieldius λελιμμένης pugnat cum mente Clytaemnestrae. Nam λελιμμένης ἀρτάνας ἔλυσαν quid aliud significat, quam volentem laquei nexu liberarunt. Quapropter pro λεληιμμένης rescripserim ἐνημμένης, „cum collum iam esset insertum;" λ vero e proximo ν facile nasci potuit. Πρὸς βίαν ad ἔλυσαν referendum est.

942. τούτων μὲν οὕτως· τὴν ξένην δὲ πρευμενῶς
τήνδ' ἐςκόμιζε cett.

Τούτων iure displicuit viris doctis, quod sic emendandum esse suspicor

τοὐμὸν μὲν οὕτως.

Nam quae praecedunt ad ipsum referuntur Agamemnonem.

953. οὐδ' ἀποπτύσας δίκαν
δυςκρίτων ὀνειράτων
θάρσος εὐπιθὲς ἵζει
φρενὸς φίλον θρόνον.

Vulgatam scripturam defendit Wellauerus ad nominativum absolutum provocans. Rectius, opinor, dixisset, vero subiecto grammaticum cessisse. Sed hic quidem ἀποπτύσαι (ὥςτε ἀποπτύσαι) praetulerim. Sequuntur verba difficiliora

— — χρόνος δ' ἐπεὶ
πρυμνησίων ξυνεμβόλοις
ψαμμίας ἀκάτας παρήβησεν, εὖθ' ὑπ' Ἴλιον
ὦρτο ναυβάτας στρατός.

De sententia dubitari vix potest. Dicendum erat hoc: diu est, ex quo in Troiam profectus est exercitus. Eo enim tempore mactata est Iphigenia, cuius caedes Chori animo obversata spem bonam arcet. Iam πρυμνησίων ξυνεμβολαῖς (hoc enim procul dubio reponendum est) aliud esse nequit, nisi retinaculorum in navem coniectio, cum navis in altum evehitur. Naves autem ψάμμιαι dicuntur, quod ante profectionem in arenoso litore diu steterant. Itaque si modo v. παρηβᾶν activa significatione usurpari potuit, ἐπὶ πρυμνησίων ξυνεμ-

βολαῖς ψαμμίας ἀκάτους (ἀκάτα vix reperiatur) cum Hermanno scribendum existimo; sin minus, ψαμμίαις ἀκάτοις eadem sententia scribi poterit: „diuturnum tempus elapsum est navibus post profectionem." In antistropha quoque quae his verbis respondent, corrupta sunt

εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμᾶς τι
ἐλπίδος ψύθη πεσεῖν
ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον.

In Cod. Farnes. est εὔχομαι δ' ἐξ ἐμᾶς ἐλπίδος. Quae si quis cum altera scriptura comparaverit, sic legendum esse videbit

εὔχομαι δὲ τάδ' ἐξ ἐμᾶς
ἐλπίδος cett.

In proxima stropha, ut metra docent, exciderunt quaedam, quae e coniectura nequeunt suppleri. Illud tamen intelligi potest, scripsisse Aeschylum

μάλα τε γάρ τὸ τᾶς.

Altera enim pars sententiae sequitur v. 977.

καὶ πότμος εὐθυπορῶν
ἀνδρὸς * * *
ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα.

Continuata sunt haec

καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων
κτησίων ὄκνος βαλὼν
σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου
οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος
πημονᾶς γέμων ἄγαν.

Tractavit hunc locum Bamberg. Programm. p. 18, et persuasit mihi ὄκνον rescribendum esse, audaciore sane, sed vere Aeschylea dictione. At utrum καὶ τὸ μέν retinendum sit necne, anceps sum. Nam si scribimus κἄτ' ὁ μὲν πρὸ χ. cett. litteris iisdem sed aliter dispositis, levis erit et elegans oratio.

1039. ἐγὼ δ', ἐποικτείρω γάρ, οὐ θυμώσομαι.
ἴθ', ὦ τάλαινα, τόνδ' ἐρημώσασ' ὄχον,
εἴκουσ' ἀνάγκῃ τῇδε καίνισον ζυγόν.

Verbum καινίζω permiram hic significationem habet, si modo ab Aeschylo profectum est. Nam ut καινίζω ζυγόν significare possit „novum mihi iugum imponitur"; at quae hic flagitatur sententia, patiaris, toleres novum iugum (ad hoc enim solum

Cassandram adhortari poterat Chorus) cum illo verbo nequit conciliari. Quapropter rescribendum duco *καί̈νεσον*, mutata interpunctione. *Αἰνεῖν* saepe est acquiescere in aliqua re.

1061. *ἆ ἆ*

μισόθεον μὲν οὖν πολλὰ συνίστορα
αὐτόφονά τε (hoc supplevit Pauw.) *κακὰ κἀρτάναν*
ἀνδρὸς σφαγεῖον καὶ πέδον ῥαντήριον.

Hic locus a plerisque neglectus certa habet corruptelae indicia. Primum scabra est oratio. Nam deest ante *ἀνδρός* copula, quae abesse non debebat. Deinde quo refertur *ἀρτάνη*? Ad Cressae suspendium? At alibi nihil, quod huc pertineat, apud Aeschylum inveneris. Sequuntur v. *ἀνδρὸς σφαγεῖον*, quibus necem Agamemnonis interpretes significari existimant. Quod fieri potest nulla ratione. Nam versu demum 1071 caedis Agamemnoneae cogitatio vatis animum subit:

ἰὼ ποποῖ, τί ποτε μήδεται;
τί τόδε ν έ ο ν ἄχος μέγα cett.

Nec recte opinor domus dicetur conscia caedis, quae nondum perpetrata erat. Contra, quae procul dubio memoranda erant, quaeque memorata esse docet antistropha

μαρτυρίοισι γὰρ τοῖσδ' ἐπιπείθομαι·
κλαιόμενα τάδε βρέφη, σφαγὰς cett.

in vulgata loci scriptura haud internoscuntur. Nam *ἀνδρὸς σφαγεῖον* per se dictum ad filios Thyestae mactatos nequit referri. Atqui in libris neque *κἀρτάναν* est neque *κἀρτάνας* sed *κἀρτάναι*. Quo vel magis apparet, in hoc potissimum verbo corruptelam quaerendam esse. Removetur quidquid est in hoc loco difficultatis si sic rescribimus

— — *κἀρτάμου*
ἀνδρὸς σφαγεῖον καὶ π. ῥ.

Domus et aliarum multarum caedium conscia est, et viri laniarii sacrificii, et soli inde sanguine conspersi. *Ἀνὴρ ἀρτάμος* Atreus est. Verbi *ῥαντήριον* significationem passivam, quamvis nullo stabilitam exemplo, non continuo damnaverim. Facile tamen *δαπέδου ῥαντήριον* scripseris, sententia eadem.

1083. *οὔπω ξυνῆκα, νῦν γὰρ ἐξ αἰνιγμάτων*
ἐπαργέμοισι θεσφάτοις ἀμηχανῶ.

Pro *νῦν* scribendum videtur *νοῦν*. De constructione v. *ἀμηχανῶ* conf. Indic. Wellauer.

1096. ἄπεχε τᾶς βοὸς
τὸν ταῦρον· ἐν πέπλοισιν
μελάγκερων λαβοῦσα μηχανήματι
τύπτει.

Oratio inconcinna est, sive μηχάνημα pro oppositione v. πέπλοισι habueris, sive per se malueris accipere. Scripsisse videtur Aeschylus

— εὐπέπλοισιν
— — μηχανήμασιν.

1107. ἰὼ ἰὼ ταλαίνας κακόποτμοι τύχαι.
τὸ γὰρ ἐμὸν θροῶ πάθος ἐπεγχέασα.
ποῖ δή με δεῦρο τὴν τάλαιναν ἤγαγες;

Qui hunc locum tractarunt antistropha emendanda antistrophicae responsioni consulere sategerunt. Ea tamen si περίβαλον pro περιβάλοντο reposueris, quod certatim fecerunt interpretes, nulla habet depravationis vestigia. Elegantissimi enim sunt dochmii, et sententia aptissima est. Quam, si diis placet, emendarunt hunc in modum

περίβαλον γάρ οἱ πτεροφόρον δέμας θεοὶ
γλυκύν τ' ἄγειν αἰῶνα κλαυμάτων ἄτερ.

Nam in libris est ἀγῶνα pro αἰῶνα. Quo fit et sententia languidior et numeri aliquanto peiores. Quapropter in stropha vitium haerere existimo, quae hunc in modum emendari potest

τὸ γὰρ ἐμὸν θρόῳ πάθος ἐπέγχεα.

„Nam meum quoque dolorem lamentationi meae immiscui." Nos quidem ἐπεγχέω exspectaverimus. Graecos vero in tali caussa praeterito uti solere, rei et veritati convenientius, satis constat.

1144. — ἄκος δ'
οὐδὲν ἐπήρκεσαν
τὸ μὴ πόλιν μὲν ὥσπερ οὖν ἔχει παθεῖν,
ἐγὼ δὲ θερμόνους τάχ' ἐν πέδῳ βαλῶ.

Multi hunc versum emendare conati sunt. Solus Wellauerus vulgatae scripturae patrocinium suscepit; at res opinor haud bene ei cessit. Θερμόνους enim, quoquo te vertas, ineptum est. Vide, ne Aeschylus sic scripserit

ἐγὼ δὲ θερμόχουν στάγμ' ἐν πέδῳ βαλῶ
vel ἐγὼ δὲ θερμὸν στάγμα δαπέδῳ βαλῶ.

In quo *θερμόνους* natum esse littera σ a sequente voce ad priorem perperam retracta existimandum sit.

1172. — *θαυμάζω δέ σου*
πόντου πέραν τραφεῖσαν ἀλλόθρουν πόλιν
κυρεῖν λέγουσαν, ὥςπερ εἰ παρεστάτεις.

Haud ego negaverim, posse haec quodammodo intelligi, si *ἀλλόθρουν πόλιν* cum *κυρεῖν λέγουσαν* construatur, ut sit „de urbe peregrina vera loqui." Quamquam quae dixit Cassandra non pertinent ad urbem vel civitatem, et *κυρεῖν λέγουσα* per se dictum magis arridet. Fortasse igitur sic scripsit Aeschylus

πόντου πέραν σταλεῖσαν ἀλλόθρουν πόλιν

„quae trans mare in peregrinam urbem veneris."

1225. *ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν.*

Particula *ἂν* omnium consensu reiecta est; in emendatione vero multum dissentiunt viri docti. Equidem mihi persuadeo, *αὖ* scripsisse Aeschylum. Nam et alias semper Cassandrae oracula perperam intellecta sunt, et in hoc ipso diverbio aliquoties ab eius mente Chorus aberravit.

1240. *ἴτ' ἐς φθόρον πεσόντ'· ἀγαθῷ δ' ἀμείψομαι·*
ἄλλην τιν' ἄτην ἀντ' ἐμοῦ πλουτίζετε.

Prior versus ut cuiquam depravatus videatur, non est verendum. Nam et numeri laborant, et sententia. Vitium autem quin in v. *πεσόντ'* insit, non dubito. Hoc enim additum ad v. *ἴτ' ἐς φθόρον* mirifice languet. Proxima vero litteris rectius distinctis aptissima sunt *τἀγάθ' ὧδ' ἀμείψομαι.* Nam sicut in proximis *πλουτίζετε* dicit per ironiam, sic mala, quae e munere vaticinandi ad eam redundaverant, cum cavillatione bona appellat. Hinc apparet, quid in *πεσόν* debeat inesse. Nam indicandum erat, qualia dicerentur bona, quoniam *τἀγαθά* per se non est perspicuum. Itaque reponendum existimo

ἴτ' ἐς φθόρον· σφῶν τἀγάθ' ὧδ' ἀμείψομαι.

σφῶν primum obtinet locum, quoniam huc vergit sententiae momentum „bona, qualia *vos* mihi impertivistis i. e. quae vos fortasse pro bonis venditare sustinebitis, reapse mala perniciosissima." Haec vero dum loquitur, ista ornamenta humi proiicit, et pedibus, opinor, proculcat. Proximus versus praeter v. *ἄτην* nihil habet difficultatis. Eius patronum fuere qui agerent; alii eam damnarunt. Quibus et ego adstipulor. Fortasse legendum est *ἀγνήν*, quod acerbam Apollinis reprehen-

sionem continet. Nam propter castitatem istas ei deus calamitates inflixit. Hoc mihi propius ad litterarum ductus accedere videtur, quam quod ad sententiam et ipsum aptum est *ἄλλην πάλιν τιν' ἀντ' ἐμοῦ.*

1259. *τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὧδ' ἀναστένω.*
Κάτοικος scriptura longe absurdissima tolerabilis visa est interpretibus. Versatur Cassandra ante aedes in publico. Ideo, ut dici posset *κάτοικος*, excogitata est nova istius verbi significatio. Etenim *κάτοικος* etiam prope aedes stantem significare aiunt. Quod ut alibi iam possit fieri, hoc certe loco non potest. Nam ex ipsorum sententia locus qui ante aedes est hic opponitur aedibus interioribus. Quis igitur tam inepte loquitur, ut, si platea significanda sit, verbo utatur interiorum aedium proprio, quod tantum latiore vi ad illum locum transferri possit? Immo una mutata littera sic scribendum est

τί δῆτ' ἐγὼ κατ' εἰκὸς ὧδ' ἀναστένω.

„Quo ego decoro (*κατὰ τί εἰκός*), qua ratione, sic lamentor." Quo proficit etiam sententia. Nam quae sequuntur nihil habent argumenti, cur ante aedes, sed cur omnino non lamentetur.

1296. — — *ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι*
πρὸς ὕστατον φῶς, τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις,
ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ
δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος.

Quotquot huius loci emendationes prolatae sunt, nulla tolerabilem poëtae sententiam restituit verbis aptis expressam. Ut unum commemorem, *τίνειν τινός τινι* „poenas alicuius rei alicui infligere" ubi dictum reperiatur, nemo indicavit. Fortasse sic scripsit Aeschylus

ἐχθρὰς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς φαίνειν ὁδοὺς —

Precatur ut Sol ipsius ultoribus viam monstret tristem suis occisoribus. Genitivi autem *δούλης θανούσης* cett. ad utrumque *ἐμοῖς* referuntur. Denique *ὁδοὺς* dicit ad Orestae adventum respiciens, ut supra *ἥξει γὰρ ἡμῖν ἄλλος αὖ τιμάορος·*

1314. *καὶ τοῖσι θανοῦσι θανὼν ἄλλων*
ποινὰς θανάτων ἄγαν ἐπικρανεῖ.

V. *ἄγαν* et numeri et sententia respuunt. Scribendum videtur *θανάτων θανάτῳ 'πικρανεῖ.* Nam v. *θανάτῳ* reliquias illud *ἄγαν* continere videtur. Qua emendatione sententiae concinnitati haud dubie consulitur, cum *θανοῦσι θανών* similem

dictionem flagitare videatur. Bambergerus in Progr. p. 19 *ἀντεπικραίνει*, ubi errore typographi legitur *ἀνταποκραίνει*.

1320. *ἀλλὰ κοινωσώμεθ' ἄν πως ἀσφαλῆ βουλεύματα.* V. *ἄν πως*, sive *ἄν πως* scripseris, explicari nequit. Imo legendum est *ἔμπας* „utcunque est, tuta inter nos communicemus consilia." [At fortasse *ἂν* est *ἐάν*.]

1380. *τί κακὸν ὦ γύναι*
χθονοτρεφὲς ἐδανὸν ἢ ποτὸν
πασαμένα ῥυτᾶς ἐξ ἁλὸς ὄρμενον
τόδ' ἐπέθου θύος δημοθρόους τ' ἀράς.

Non carent haec difficultate. Et Wellauerus quidem post *πασαμένα* distinxit, ut *ἐξ ἁλὸς ὄρμενον* coniungatur cum v. *θύος*. Quod parum aptum est, sive *θύος* sacrificium [quod proxima *ἀπέδικες*, *ἀπέταμες* demonstrant] sive furorem significare malueris. Illud quidem certum est *χθονοτρεφές* et *ἐξ ἁλὸς ὄρμενον* inter se respondere. Sed iam nova existit difficultas. Hoc enim dicet poëta: Qualem escam e terra ortam, aut qualem potum e mari profectum hausisti? Quasi esca non potuerit e mari petita esse, potus non e terra. Scribendum est procul dubio *ῥυτᾶς ἢ 'ξ ἁλὸς ὄ.* Sed plus fortasse in hoc loco turbatum est. Nam si comparantur quae in antistropha verbis *ἢ ποτόν* respondent v. *ὥςπερ οὖν*, ea valde languere neminem latebit. Istic enim breves enunciationes sine copula compositae animi affectum vehementiorem ad vivum exprimunt,

μεγαλόμητις εἶ, περίφρονα δ' ἔλακες· [ὥςπερ οὖν]
φονολιβεῖ τύχᾳ φρὴν ἐπιμαίνεται.
λίπος ἐπ' ὀμμάτων δ' αἵματος ἐμπρέπει
ἄτιτον. ἔτι σὲ χρὴ στερομέναν φίλων
τύμμα τύμματι τῖσαι.

Vides omissis v. *ὥςπερ οὖν* nec sententiam, nec numeros iacturam facere. Sunt enim puri dochmii. In stropha autem *ἢ ποτόν* suspectum est; primum ob orationem duplice *ἢ* turbatam; deinde *ἔδανόν* vel *ἐδανόν* etsi propriam esculenti significationem habet, tamen iam apud Homerum ad res fluidas (oleum) relatum est. Videtur igitur hoc loco vi latiore *φάρμακον* significare; *ἢ ποτόν* vero glossema esse suspicor.

1425. *φεῦ τίς ἂν ἐν τάχει μὴ περιώδυνος*
μηδὲ δεμνιοτήρης

μόλοι τὸν αἰεὶ φέρουσ᾽ ἐν ἁμῖν
Μοῖρ᾽ ἀτέλευτον ὕπνον, cett.

Scribendum puto ἂν ἁμῖν pro ἐν ἁμῖν, quod me fateor, quid sibi velit, non perspicere.

1455. τὸν τριπάχυιον
δαίμονα γέννας τᾶσδε κικλήσκων.

Vox τριπάχυιον egregie corrupta, omisso articulo in τριπαλάμναιον mutanda videtur. Bambergerus τὸν τριπαλαιστὴν coniecit (Programm. p. 20).

1517. δίκην δ᾽ ἐπ᾽ ἄλλο πρᾶγμα θήγει βλάβης
πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα.

In libris est vel δίκη vel δίκα. Pro θήγει, quod metro adversatur, Hermannus reponendum iudicavit θηγάνει. Sed vide ne ita potius legendum sit

δίκη δ᾽ ἐπ᾽ ἄλλο πρᾶγμα θήγεται βλάβης
πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοίρας.

In antistropha v. 1547.

κεκόλληται γένος προσάψαι

cur corrigatur caussam non video. Προσάψαι est „ut in se cohaereat." Intransitiva enim verbi significatio etiam alibi reperitur. Totus autem iste locus ambiguus est more tragicorum. Chorus enim ut sceleris et vindictae necessariam coniunctionem declararet, parentum atque filii imagine usus est generis necessitudine copulatorum; spectatores vero non poterant non cogitare de Oresta, patris ultore.

1587. τρίτον γάρ ὄντα μ᾽ ἐπὶ δέκ᾽ ἀθλίῳ πατρὶ
ξυνεξελαύνει τυτθὸν ὄντ᾽ ἐν σπαργάνοις.

Si vera est librorum scriptura, tredecim filii fuerunt Thyestae. Nam aliter haec nequeunt intelligi, quam sic „me, qui tertius decimus filius eram, simul cum patre in exilium egit." Verum unde tantum filiorum numerum Thyestae attribuerit, equidem ignoro. Nam reliqui scriptores in duobus aut tribus acquieverunt. An fabula vetusta deserta, numero mactatorum puerorum facinoris atrocitatem exaggerare voluit poëta? At hercle non in numero inerat atrocitas. Accedit quod parum constanter v. 1065 τάδε βρέφη dixit Cassandra. Nam si liberos tredecim habebat Thyestes, non poterant omnes βρέφη esse. Sane in verbis Cassandrae non inest diserta numeri notatio (conf. 1190 seqq.), at nihil certe ibi reperitur, quod a

vulgari narratione Aeschylum defecisse arguat. Ut mihi quidem videtur, corrupta sunt verba poëtae, et leni medela hunc in modum emendanda

τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἔλιπε κἀθλίῳ πατρὶ
ξυνεξελαύνει τυτθὸν ὄντ' ἐν σπαργάνοις.

E tribus unum me reliquit (*ἔλιπε* contemptius dictum est, quam *ἔσωσε*) et cum patre egit in exilium. Illud vero non obscurum est, quam facile ad vulgatam scripturam aberrare potuerint librarii, transpositis litteris *Λ* et *Π*, et littera *K* ad antecedentia perperam retracta. [v. 1587. *τρίτον ὄντα μ' ἐπὶ δέκ' ἀθλίῳ πατρί*, quae haud dubie corrupta sunt, iam sic corrigenda existimo *ἐπὶ δύο' ἀ. π.* vel, si quem offendat elisio ista, *ἐπὶ δύ' ἀ. π.* Si quis autem verbo *τρίτον* addita v. *ἐπὶ δυοί* miretur, is meminerit Graecorum etiam poëtarum in numeris notandis diligentiam; deinde ne otiosum quidem hoc additamentum esse, quo intelligatur, Aegisthum filium fuisse natu minimum.]

1642. *στείχετε δ' οἱ γέροντες πρὸς δόμους πεπρωμένους*
πρὶν παθεῖν ἔρξαντα καιρόν· χρῆν τάδ' ὡς ἐπράξαμεν.
εἰ δέ τοι μόχθων γένοιτο, τῶνδ' ἅλις γ' ἐχοίμεθ' ἂν
δαίμονος χηλῇ βαρείᾳ δυστυχῶς πεπληγμένοι.

Primus horum versuum in initio mancus est, sic fortasse redintegrandus

στείχετ' ὑμεῖς δ', οἱ γέροντες, —

In secundo versu multorum iam coniecturis exagitato sic opinor scribendum esse

πρὶν παθεῖν ἢ 'ρξαι (ἢ ἔρξαι) τι καινόν

Proximi versus sententia vix dubia esse potest. Eodem enim argumento Chorum consolatur regina, quo in proximis Aegisthum, satis iam aerumnarum esse. Hanc autem sententiam sic Choro restituerim

εἰ δέ τοι μόχθων γ' ὄνοισθε — τῶνδ' ἅλις γ' ἔχοιμεν ἂν cett.

Nota est ironica illa locutio *ὄνομαί τινος*, quam plus uno loco usurpavit Homerus (conf. Iliad. 24, 41. *οὐδ' ὥς σε ἔολπα ὀνόσσεσθαι κακότητος*). Virgulam vero post *ὄνοισθε* posui, ne lectorem praegnans illud lateret genus dicendi, a Graecis toties usurpatum, in quo apodosis tum demum ad amussim protasi respondet, si *λέγω* vel *ἴσθι ὅτι*, vel tale quid cogitatione suppletur. Denique *τῶνδε ἅλις ἔχομεν* significat „haec nobis sufficiunt (wir haben *an diesen* genug)." Nam in tali caussa et *τάδε ἅλις ἐστί* et *τῶνδε ἅλις ἐστί* Graece dicitur. In postremo versu de scriptura *χηλῇ* pro *χολῇ* vid. Ahrens. Programm. Ilfeld. 1832. p. 7.

VII.

EMENDANTUR ALIQUOT LOCI PAUSANIAE, ATHENAEI, UNUS PLUTARCHI [1]).

Pausaniae L. X. c. 9. §. 11.

E magna illa supellectile oraculorum, in quibus fingendis tantum operae perdiderunt recentiores Graeci, hoc affert Pausanias, Musaei nomine inscriptum:

καὶ γὰρ Ἀθηναίοισιν ἐπέρχεται ἄγριος ὄμβρος
ἡγεμόνων κακότητι· παραιφασίη δέ τις ἔσται
ἡτταλοίσ' ἡμύσσουσι πόλιν, τίσουσι δὲ ποινήν.

Referuntur haec ad proelium Hellespontium, quo bellum Peloponnesiacum diremptum est. In Cod. Bekkeri Moscovitano non est *ἡτταλοίσ' ἡμύσσουσι* sed *ἡι τ οὐλήσουσι*. In eo latent genuinae scripturae vestigia. Ita enim legendum est:

— — *παραιφασίη δέ τις ἔσται*
ἥττης· οὐ λήσουσι πόλιν, τίσουσι δὲ ποινήν.

„Erit autem quoddam cladis solatium: non latebunt civitatem, sed poenas luent".

Ibid. c. 11. §. 5.

οἱ δὲ θησαυροὶ Θηβαίων ἀπὸ ἔργου τῶν ἐς πόλεμον καὶ Ἀθηναίων εἰσὶν ὡςαύτως· Κνιδίους δὲ οὐκ οἶδα εἰ ἐπὶ νίκῃ τινὶ ἢ ἐς ἐπίδειξιν εὐδαιμονίας ᾠκοδομήσαντο· ἐπεὶ Θηβαίοις γε ἀπὸ ἔργου τοῦ ἐν Λεύκτροις καὶ Ἀθηναίοις ἀπὸ τῶν ἐς Μαραθῶνα ἀποβάντων ὁμοῦ διὰ τάδε εἰσὶν οἱ θησαυροί.

V. *ὁμοῦ διὰ τάδε* aut significant eodem loco propterea, aut simul propterea, quorum utrumque ineptum est, ut iure mireris, neminem ad haec offendisse. Scribendum est *ὁμοῦ Δάτιδι*. Is enim illius expeditionis dux fuit. Conf. Paus. X, 23, 12. *τοῖς φεύγουσι ὁμοῦ Βρέννῳ.*

Theognid. v. 939.

---

1) Ex Zimmermanni diar. phill. 1838. Nr. 100 sqq.

οὐ δύναμαι φωνῇ λιγύρ' ἀδέμεν ὥςπερ ἀηδών
καὶ γὰρ τὴν προτέρην νύκτ' ἐπὶ κῶμον ἔβην.
οὐδὲ τὸν αὐλητὴν προφασίζομαι, ἀλλά μ' ἑταῖρος
ἐκλείπει σοφίης οὐκ ἐπιδευόμενος.

Theognidis verba haud dubie corrupta sunt. Primum enim inepta est sententia. Etenim cum versibus duobus prioribus propter hesternam comissationem se dixerit ad canendum minus idoneum esse, iam caussatur absentiam amici, artis poëticae haud expertis. Quae quo modo conciliari possint, velim quispiam mihi explicet. Nam si crapula obest hesterna, quid proderit praesens amicus? Amicus autem utrum artis peritus sit necne, quid refert? — At aliud accedit. Quis enim graece dixerit ἑταῖρος ἐκλείπει με? Immo haec ita legi oportet:

ἀλλά με γῆρυς
ἐκλείπει σοφίης οὐκ ἐπιδευόμενον.

Vox me deficit, artis haud sane expertem. Sic intelligitur, cur in prioribus φωνῇ λιγύρ' ἀδέμεν scripserit.

Euripid. Helen. 1630.

— — ἐπ' οἰάκων δὲ βὰς
ἄναξ, ἐς 'Ελλάδ' εἶπεν εὐθύνειν δόρυ.
οἱ δ' ἱστὸν ἦρον, οὔριοι δ' ἧκον πνοαί cett.

Non temere gloriatus est Hermannus, se edidisse hanc fabulam, ut legi posset. Hoc quoque loco primus intellexit vir summus, ineptum esse v. ἄναξ. Quod vero reponendum esse iudicavit ἀλλάξ, vereor ut illud significare possit, quod voluit. Videtur autem ἄνακτ' scripsisse Euripides: (οἰάκων) ἄναξ est est gubernator, ut κώπης ἄναξ remex. Quod autem sequitur ἱστὸν ἦρον ferri nequit. Malus enim dudum erectus erat. Conf. v. 1554 ὁ μὲν γὰρ ἱστόν, ὁ δὲ πλάτην καθίστατο. Scribendum est ἱστί' ἦρον.

Plutarch. Romul. c. 33. τῶν δὲ πραγμάτων οὐδὲν διετάραξεν οὐδὲ διεστασίασε τοὺς Σαβίνους, ἀλλ' οἱ μὲν εὐνοίᾳ τῇ πρὸς αὐτὸν, οἱ δὲ φόβῳ τῆς δυνάμεως, οἱ δ' ὡς θεῷ χρώμενοι, εἰς πᾶσαν εὔνοιαν θαυμάζοντες διετέλουν. Haec verba iure suspecta fuerunt interpretibus. Pflugkius in Schedis criticis p. 29 hanc commendavit medelam: οἱ δ' ὡς θεοῦ χρώμενον ῥώμῃ εἰς πᾶσαν ἐπίνοιαν θαυμάζοντες διετέλουν. Quorum sententiam vellem vir doctissimus explicuisset. Aut enim hoc significant: deorum vi ad omnia conamina utebatur,

i. e. deorum valido auxilio; aut robore ad omnia incepta quasi divino utebatur. Horum utrum sumseris, aliquid restat incommodi. In priore interpretatione *θεοῦ ῥώμη* non satis apte dictum est; in altera hoc offendit, quod robur quoque timorem iniicit, haec igitur sententiae pars non satis distincta est a verbis *φόβῳ τῆς δυνάμεως*. Quapropter hanc mihi persuadeo veram huius loci scripturam esse: *οἱ δὲ ὡς θεῶν χρώμενον εἰς πάντα εὐνοίᾳ.* Alii amabant, alii timebant, alii ut deorum propitio numine custoditum admirabantur.

Athen. XI. c. 6. Anaxilae e Neottide versus 22.

Σφίγγα Θηβαίαν δὲ πάσας ἔστι τὰς πόρνας καλεῖν·
αἳ λαλοῦσ' ἁπλῶς μὲν οὐδὲν, ἀλλ' ἐν αἰνιγμοῖς τισιν
ὡς ἐρῶσι καὶ φιλοῦσι καὶ σύνεισιν ἡδέως.
εἶτα τετράπους μοι γένοιτό φησι τὴν πρὸς ἢ θρόνος·
εἶτα δὴ τρίπους τις, εἶτα, φησὶ, παιδίσκη δίπους.

Versus penultimus in libris M. S. mirum in modum turbatus est; illud autem e scripturae varietate intelligitur, *σκίμπους* alicubi inserendum esse. Quapropter ita versus iste in ordinem redigendus est:

εἶτά μοι σκίμπους γένοιτο, φησὶ, τετράπους ἢ θρόνος.

Athen. XI, 16. *Σοφοκλῆς δέ που περὶ τοῦ κάλλους τοῦ Πέλοπος διαλεγομένην ποιήσας τὴν Ἱπποδάμειάν φησι*

τοιάνδ' ἐν ὄψει λύγγα θηρατηρίαν
ἔρωτος, ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων ἔχει.

Immo *τοίαν Πέλοψ ἴυγγα θ.*

Athen. XI. 69. Posidippi epigramm.

Δωρίχα, ὀστέα μὲν σὰ πάλαι κοιμήσατο δεσμῶν
χαίτης, ἥ τε μύρων ἔκπνοος ἀμπεχόνη,
ᾗ ποτε τὸν χαρίεντα περιστέλλουσα Χάραξον
σύγχρους ὀρθρινῶν ἥψαο κισσυβίων.
Σαπφῷαι δὲ μένουσι φίλης ἔτι καὶ μενέουσιν
ᾠδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες.
οὔνομα σὸν μακαριστὸν, ὃ Ναύκρατις ὧδε φυλάξει,
ἔστ' ἂν ἴῃ Νείλου ναῦς ἔφαλος τενάγη.

Hoc epigramma corruptissimum ferebatur in libris vetustis, verum et Casauboni et Iacobsii acumine pleraque sunt egregie emendata. Velut ista *σὰ πάλαι*, Casauboni inventum; nam in libris repertum est *σ' ἁπαλά*; et versu postremo *γεγάνη*, cuius in locum *τενάγη* substituit Iacobsius. Porro *ᾗ*

ποτε (in libris erat ἤ ποτε) Analecta Brunk. praebuerunt. At tamen restat difficultas; verba enim δεσμῶν χαίτης nullo modo explicari possunt. Et Iacobsio quidem, viro optimo, plurima mutanda erant, ut tolerabilis existeret sententia. At lenissima, opinor, defungemur medela. Sc. δεσμῶν χήτει, σή τε μύρων cett. reliquis non sollicitatis. Sententia haec est: Ossa tua morte sopita sunt, membrorum nexu soluto. V. δεσμοί enim compagem (vincula) membrorum significat.

Pratinae hyporchema Athen. 14, 8

τίς ὁ θόρυβος ὅδε; τί τάδε τὰ χορεύματα;
τίς ὕβρις ἔμολεν ἐπὶ Διονυσιάδα πολυπάταγα θυμέλαν;
ἐμὸς, ἐμὸς ὁ Βρόμιος·
ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν
ἀν' ὄρεα θύμενον μετὰ Ναϊάδων
οἷα τε κύκνον ἄγοντα
ποικιλόπτερον μέλος.
τὰν ἀοιδᾶν κατέστας σὺ Πιερὶς βασίλει' ὁ δ' αὐλὸς
ὕστερον χορευέτω.
καὶ γάρ ἐστ' ὑπηρέτας κώμων μόνον
θυραμάχοις τε πυγμαχίαισι νέων θέλει παρ' οἶνον
ἔμμεναι στρατηλάτας.
παῖε τὸν φρυναίου ποικίλου προανέχοντα,
φλέγε τὸν ὀλεσιαυλοκάλαμον
λαλοβαρυπαραμελορυθμοβάταν
θυπατρυπάνω δέμας πεπλασμένον·
ἤ ἰδοὺ ἅδε σοι δεξιὰ
καὶ ποδὸς διαῤῥιφὰ, θριαμβοδιθύραμβε
κισσόχαιτ' ἄναξ ἄκουε
τὰν ἐμὰν Δώριον χορείαν.

Scripsi haec ut leguntur in editione Dindorfiana. Invehitur Pratinas in tibicines, plus sibi, quam antiquitus concessum erat, arrogantes. Humanae enim vocis ministram tibiam esse dicit, non cantores asseclas tibicinum. In his primum offendunt v. ἀν' ὄρεα θύμενον. Θύμενον an non Graecum sit, vehementer dubito. Scribe σύμενον. Porro τᾶν ἀοιδᾶν κατέστας σὺ Πιερὶς βασίλει' ex Heringae coniectura scriptum est. In libris est τὰν ἀοιδὰν et κατέστας Πιερίς. Rectius vero sic, opinor, scribetur τὰν ἀοιδὰν κατέστασε Πιερὶς βασίλει'. Cantum Musa instituit. Quoniam vero βασίλεια

Cod. scriptura est, maluerit quispiam *βασιλείαν*. „Musa regnum dedit cantui;" nec numeros existimo ne hoc reponatur, vetare. Magnopere corrupta visa sunt viris doctis v. *παῖε τὸν φρυναίου ποικίλου προανέχοντα.* Possunt tamen lenissime emendari, modo illud teneatur, quod quosdam videtur latuisse, non ad tibicines haec, sed ad tibias referri. Et primum quidem *παῖε* Iacobsius in *παῦε* mutandum esse duxit. At hyporchemati convenientius, quod gestu quis imitari potest. Proximis ita subveniendum:

φρυνίου ποικίλου πνοὰν ἔχοντα.

Comparatur tibiae sonitus cum voce rubetae, quibus sane aliqua similitudo intercedit. Intelligendum vero illud rubetae genus, cuius dorsum taenia diversi coloris variatum est, quam nunc Calamitam dicunt. Hoc enim genus et vocem mittit tibiis simillimam et in Graecia reperitur etiamnunc. — In proximis *ὀλεσιαυλοκάλαμον* utrum recte emendatum sit, necne, incertum est. Antiquitus traditum *ὀλοσιαλοκάλαμον*, in quo fortasse acquiescendum est. Aptissimum esset *ὀλεσισιαλοκάλαμον*, ut tibia salivam perdere diceretur. Proxima verba ita scribenda sunt:

λαλοβαρυπαραμελορυθμοβάταν θ'
ὑπαὶ (vel *ὑπὸ*) *τρυπάνῳ δέμας πεπλασμένον.*

Tibiae corpus terebro dicitur formatum. Reliqua nihil habent; quod quem offendat, nisi quod *δεξιᾶς* quam *δεξιά* quispiam maluerit, ut visum est Bambergero, sodali suavissimo.

Ath. 13, 88. Chaeremonis Alphesiboeae fragmentum.

καὶ σώματος μὲν ὄψεις κατειργάζετο
στιλβόντα λευκῷ χρώματι διαπρεπῆ·
αἰδὼς δ' ἐπεῤῥύθμιζεν ἠπιώτατον
ἐρύθημα λαμπρῷ προςτιθεῖσα χρώματι·
κόμαι δὲ κηροχρῶτες ὡς ἀγάλματος
αὐτοῖσι βοστρύχοισιν ἐκπεπλασμένοι
ξουθοῖσιν ἀνέμοις ἐνετρύφων φορούμενοι.

Priores duos versus sic a poëta scriptos existimo:

καὶ σώματος μὲν ὄψις οὐ κατείργετο,
στίλβοντα λευκῷ χρώμαθ' ὡς διαπρέπειν:

postremos ita:

λυτοῖσι βοστρύχοισιν ἐσκεδασμέναι
— — — — φορούμεναι.

Comae dicuntur solutis cincinnis sparsae.

Eiusdem poëtae fragmentum legitur L. 13 c. 87, quod nuper Theod. Bergkius aliquot locis elegantissime emendavit. Quale illud est, quod *ἔρσῃ δὲ θαλερὸς ἐκτραφεὶς ἀμάρακος* rescripsit, cum in libris esset *πέρσης δ.* At praetermisit ille, si recte memini, neque enim iam ad manum est eius commentatio, haec verba:

ἄλλη δ' ἐγύμνου καλλίχειρας ὠλένας,
ἄλλη προςαμπέχουσα θῆλυν αὐχένα.

Ubi scribendum videtur *προςαμπεσοῦσα.*

Athen. 13, 77. *ὅλως δὲ τοὺς παιδικοὺς ἔρωτας τῶν ἐπὶ ταῖς θηλείαις προκρίνουσι πολλοί. παρὰ γὰρ ταῖς ἄλλαις ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος σπουδασθῆναι τόδε τὸ ἔθος.* Verba *ταῖς ἄλλαις ταῖς* aliquam corruptelam contraxerunt. Neque enim habent, quo referantur. Scribendum *ταῖς μάλιστα εὐνομ. ΜΑΛΙΣΤΑ* et *ΑΛΛΑΙΣ ΤΑ* [*ΙΣ*] propemodum nihil differunt.

Athen. 14, 5. *Διονύσιος ὁ Σινωπεὺς ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὁμώνυμοι μνημονεύει Κηφισοδώρου τοῦ πλάνου διὰ τούτων·*

Κηφισόδωρόν φασιν ἐπικαλούμενον
πλάνον τιν' ἐν Ἀθήναις γενέσθαι, τὴν σχολὴν
εἰς τοῦτο τὸ μέρος τοῦ βίου καταχρώμενον.
τοῦτον [ὃν] ἐντυχόντα πρὸς τὸ σιμὸν ἀνατρέχειν
ἢ συγκαθεῖναι τῇ 'πὶ τῇ βακτηρίᾳ.

Hinc intelligitur apud veteres fuisse non modo scurriles philosophos, sed etiam philosophos scurras, qualis noster fuit Tyll Eulenspiegel. Similia sunt enim, quae de Cephisodoro narrantur, et quae illum accepimus fecisse. At postremi versus corrupti sunt, quorum emendandorum egregie viam praemunivit Iacobsius. Is enim in verbis *ἢ συγκαθεῖναι* v. *ἥσυχα* latere intellexit. Scribendum vero ita videtur:

ἥσυχα κατιέναι τ' ἢ 'πὶ τῇ βακτηρίᾳ.

Clivo adverso currebat; descendebat pedetentim aut baculo fultus.

Ath. 14, 7. Antiphanes in Philothebaeo haec dixerat (omittam vero, quae non pertinent ad rem praesentem):

— — ὥστε μηδ' ἂν εἰ χαλκοῦς ἔχων
μυκτῆρας εἰςέλθοι τις, ἐξελθεῖν πάλιν
εἰκῇ· τοσαύτην ἐξακοντίζει πνοήν.
B. λέγεις μάγειρον ζῶντα. A. πλησίον δέ γε
ταύτης ἄσιτος ἡμέραν καὶ νύχθ' ὅλην
κεστρεὺς, λεπισθεὶς, σπασθεὶς, στραφεὶς, χρωσθεὶς
ὁμοῦ τι πρὸς τέλος μέρος δρόμου περῶν,
σίζει κεκραγώς.

In his primum quid sibi velint v. λέγεις μάγειρον ζῶντα, dictu difficillimum est, nec opinor quisquam ea intellexit. Nimirum scripserat Antiphanes:

λέγεις, μάγειρ', ὄζοντα.

„Verba tua olent." Plane similia sunt, quae infra respondet interlocutor:

εἶτ' οὐκ ἐπῳδούς (sive ἐπῳδάς) φασιν ἰσχύειν τινές;
ἐγὼ γὰρ ἤδη τρεῖς ὁρῶ μασωμένους,
σοῦ ταῦτα συστρέφοντος.

Tertius versus e gravi vulnere laborat. Illud autem laudo, quod Dindorfius meliores libros secutus non permutavit sedes v. στραφεὶς et χρωσθείς. Hoc enim certum est, χρωσθείς initium fuisse proximi versus, hunc in modum:

χρωσθεὶς, ὁμοῦ τι πρὸς τέλος δρόμου περῶν.

Nam quod in libris post τέλος legitur μέρος nihil est, nisi dittographia v. antecedentis. Hinc intelligitur versum:

κεστρεὺς, λεπισθεὶς, σπασθεὶς, στραφεὶς

mancum esse. Porro σπασθείς quoniam nequit intelligi, in πασθείς mutandum est, quod habet C. et epitome Hoeschelii. Quoniam vero qua re conspersus esset, indicandum erat, tale quid poëtam scripsisse opinor:

ἁλσὶν εὖ πασθείς vel ἀλφίτῳ π.

V. χρωσθείς vero eodem refertur, quo infra

— μεταλλάξασα λευκαυγῆ φύσιν
σαρκὸς πυρωτοῖς ἀνθράκων ῥαπίσμασι,
ξανθαῖσιν αὐγαῖς σῶμα πᾶν ἀγάλλεται.

Nam quod vulgatur αὔραις perineptum est. Restat, ut in v. — ἥ τε σύννομος
τῆς κυφονώτου σῶμ' ἔχουσα σηπίας scribatur σύννομον.
Eodem capite Clearchi e Citharoedo haec affert verba:

γόγγρῳ τε λευκῷ πᾶσι τοῖς κολλώδεσιν

βρόχθιζε. τούτοις γὰρ τρέφεται τὸ πνεῦμα καὶ
τὸ φωνάριον ἡμῶν περίσαρκον γίγνεται.

Pro *γόγγρῳ λευκῷ* in L. est *γόγγρον λευκόν*.

Igitur fortasse ita scripsit Clearchus:

γόγγρων τε λευκῶν κρέασι τοῖς κολλώδεσι.

Ex proximis quoque ipsius Athenaei verbis tollendum est vitium. *Ἀναλαβὼν*, inquit, *τὴν κιθάραν εἰς τοσοῦτον ἡμᾶς ᾖσεν, ὥς πάντας θαυμάζειν τήν τε κιθάρισιν, μετὰ τῆς τέχνης ταχίστην οὖσαν, καὶ τῆς φωνῆς τὴν ἐμμέλειαν.* Scr. *τὰ τῆς τέχνης καλλίστην οὖσαν*.

Athen. 14, 33. Dinon in Persicis *ὅτε γάρ*, inquit, *ἡγήσατο τὴν εἰς Πέρσας ἀποδημίαν ὁ Κῦρος καὶ ἀπῆλθεν* etc. Scr. *ᾐτήσατο*.

Athen. 14, 48. *Ἄμφις δ' ἐν γυναικομανίᾳ*
ἤδη ποτ' ἤκουσας βίον ἀληλεσμένον;
— — — αι τοῦτ' ἐκεῖν' ἔστιν σαφῶς
ἄμητες, οἶνος ἡδύς, ᾠά, σησαμαῖ,
μύρον, στέφανος, αὐλητρίς. Β. ὦ Διοςκόρω,
ὀνόματα τῶν δώδεκα θεῶν διελήλυθας.

Haud iniuria ignorat, quisquis rogatur, *βιὸν ἀληλεσμένον*. Nam quidquid hausit lacuna, tamen *βίον ἀληλεσμένον* vereor ut quisquam dixerit. Scribendum est *ἀληλιμμένον* „vitam unctam, lautam." Neque enim Romanos absque graeco exemplo vitam unctam dixisse mihi persuadeo.

Athen. 14, 54. *Ἀριστοφάνης δ' ἐν Δαναΐσι καὶ ποιητήν φησιν αὐτῶν εἶναι ἐν τούτοις „μήτ' ἄρμα μ' εἶναι ἐγκριδοπώλην.* Certum est, scripsisse Athenaeum *πωλητήν*, non *ποιητήν*. Aristophanis autem verba quoniam numeros habent anapaestos, ita legenda esse existimo:

μήτ' ἆρ' εἶναι μ' ἐγκριδ.

haud longe a Iacobsii sententia discedens.

Athen. 14, 63. *Ἀριστομένης ἐν Διονύσῳ φησὶν*
ὁ Χῖος οὐκ οἶσθ' ὡς ἁμαμηλίδας ποιεῖ;

Scribendum duco *ποθεῖ*. „Vinum Chium hamamelidas desiderat."

Athen. 14, 74. *δελφάκων δὲ σιτευτῶν ὁ φλυακογράφος Σώπατρος ἐν Βακχίδος γάμῳ οὕτως·*

εἴ που κλίβανος ἦν, πολὺ δέλφαξ σιτευτὸς ἔτρυξεν.

Primum eiiciendum *πολύ* quod turbat hexametrum; porro scribendum *ἔγρυξεν*. Etsi vero sententiarum nexum non habea-

mus compertum, tamen coniecerit quispiam totum versum ita legendum esse:

εἴ που κλιβανόθεν δέλφαξ οπτευτὸς ἔγρυξεν.

Lepide fervens porcina caro e testa grunnire dicitur.

Iam transimus ad Hermesianactis fragmentum a multis tentatum, iisque viris longe doctissimis. Athen. 13, 71. Herm. Opusc. T. IV. p. 239.

Primum hoc monendum est, Hermesianactis carmen aequabilem stropharum descriptionem habere. Constant autem illae strophae e tribus, duobus vel quatuor distichis, et certa vicissitudine inter se respondent. Iam conabimur quaedam ab aliis praetermissa emendare, etsi multa insunt, citra spem certae emendationis corrupta. Referuntur enim ad res aliunde nobis ignotas.

V. 9. *Κωκυτόν τ' ἀθέμιστον ἐπ' ὀφρύσι μειδήσαντα*
ἠδὲ καὶ αἰνοτάτου βλέμμ' ὑπέμεινε κυνός.

Scribendum est *εἶδε* pro *ἠδέ*. Sententia enim haec est: Cocytum vidit, ad cantum suum subridentem (*ἐπιμειδήσαντα*) quem nefas ridere. Homer. Hymn. in Cer. 358:

ὣς φάτο· μείδησεν δὲ ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεὺς
ὀφρύσιν.

Minus recte enim secundum vulgatam scripturam *ὑπέμεινε* ad *μειδήσαντα* trahetur; ridentem enim perferre non magnum est, magnum vero exhilarasse, cui nefas ridere. Cocytus autem Deus hic fluvialis.

V. 15. *οὐ μὲν οὐδ' υἱὸς Μήνης ἀγέραστον ἔθηκε*
Μουσαῖος χαρίτων ἤρανος Ἀντιόπην·
ἥ τε πολὺν μύστῃσιν Ἐλευσῖνος παρὰ πέζαν
εὔασμὸν κρυφίων ἐξεφόρει λογίων,
Ῥάριον ὀργίων ἀνέμῳ διαποιπνύουσα
Δήμητρα· γνωστὴ δ' ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδῃ.

Haec quoque referuntur ad fabulam aliunde ignotam. Certa vero Rigleri et Axtii correctio est *πολὺν μύστῃσι.* Nam in libris erat *πολυμνήστῃσιν.*

In initio versus *ὅςτε* vulgatur. Sed in Medic. et Venet. est *ἥτε*. Ruhnkenius reposuit *ἥτε*. Quod temere factum existimo, quia et aliunde scimus, Musaeum carmina mystica condidisse. Hermesianax scripsisse videtur *εὖτε*; nam *ὅςτε* emendatoris manum olet. In v. 19. vero *διαποιπνύουσι* poëta vide-

tur reliquisse. Hermannus, qui scripturam *ῄ τε* admisit, ita hunc versum correxit:

Ῥάριον ὀργειῶνι νόμῳ διαποιπνύουσα
Δημήτρα,

in quo haud scio an forma *Δημήτρα* et *Ῥάριον* per se dictum aliquid offensionis habeat; at si Antiopam per Rarium campum volitasse existimat vir summus, *διαποιπνύουσαν* scribere eum oportebit. Videndum est, ne tale quid reponi debeat:

Ῥάριον ὀργειῶνι νόμῳ διαποιπνύουσι
Δήμητρος·

si quidem *Ῥάριον* pro *Ῥάριον πεδίον* dici potuit.

V. 25. *πόλλ' ἔπαθεν, πάσας δὲ λόγων ἀνεγράψατο βίβλους*
ὕμνων ἐκ πρώτης παιδὸς ἀνερχόμενος.

Scribe *ἐναρχόμενος.*

V. 35. *Μίμνερμος δὲ τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο πολλὸν ἀνατλὰς*
ἦχον, καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου.

Malim *πνεῦμα τὸ πενταμέτρου.*

V. 53. *φοίτα δ' ἄλλοτε μὲν λείπων Σάμον, ἄλλοτε δ' αὐτὴν*
οἰνηρὴν δούρεν κεκλιμένην πατρίδα.

Scribe *οὔρει.* Intelligetur autem mons Corycus, ad quem Teos sita erat.

V. 61. *φημὶ δὲ κἀκεῖνον τὸν ἀεὶ πεφυλαγμένον ἄνδρα*
καὶ πάντων μῖσος κτώμενον ἐκ συνοχῶν
πάσας ἀμφὶ γυναῖκας.

V. 62 alii alio modo tentarunt. At Iacobsii scriptura *ἐξ ὀνύχων,* etsi ad litterarum ductus simillima, neque sententiam restituit, qualem exspectamus, neque hac una mutatione vir optimus defunctus est. Hermanni vero *σπανίων — συνόδων,* quod, ut videtur, amoribus abstinuisse Euripidem indicat, duabus rationibus displicet. Primum e rariore cum mulieribus congressu haud facile quis odium contraxerit; deinde obstat pervulgatus de Euripide rumor, quem tantummodo verbis mulieres insectatum esse narrabant. Illam vero notissimam Euripidis in mulieres maledicentiam hic quoque respici, mihi quidem certissimum est. Quam sententiam sic poëtae reddemus:

καὶ λασθῶν μῖσος κτώμενον ἐκ συνόχων.

Et qui perpetuis in omnes mulieres cavillationibus odiosus erat.

V. 69. *ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν ἀνετρέψαντο τιθῆναι*
Βάκχου καὶ λωτοῦ πιστότατον ταμίην,

Μοῦσαι παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλεως
γιγνώσκεις, ἀΐουσα μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείης
αὐτοῖς μηλείοις θῆκαθ' ὑπὸ προγόνοις.

In his quaedam pessime sunt corrupta. V. *παιδευθέντα* Hermannus ad poenam retulit a Dionysio poëtae inflictam. At neque totius periodi conformatio huic interpretationi accommodata est, et v. *παιδευθείς* sine ullo additamento de poena dictum est obscurissime, cum praesertim de educatione diversissima antecedentibus agatur. Atqui nemo non corrigeret *Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον*, si id per antecedentia verba liceret. At licebit, si hunc in modum ista mutantur:

ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν ἀνέθρεψάν ποτ' Ἀθῆναι

ut Philoxenus dicatur in Cytheris natus adolevisse Athenis. Id etsi certo iam argumento nequeo demonstrare, haud tamen abhorret a veri specie. Postremus versus difficillimus est, et haud scio an desperatus, quamvis plerique interpretes in vulgata scriptura acquieverint. In libris vero nihil est auxilii, nisi quod *μηλίοις* in eis legitur, quod Heringa sic mutavit, ut nunc vulgatur. At quid sibi volunt *μηλείοις προγόνοις*? An ovium prolem significant? Velim hanc v. *πρόγονος* significationem certioribus mihi exemplis, quam adhuc factum est, comprobari. Neque *ὑπό* satis aptum, etsi video, quomodo possit defendi. Deinde, quod maximum est, quis unquam Galateam tibicinam oves pavisse dixit, vel Philoxenum tunc in eius amorem incidisse? An referuntur haec ad carmen aliquod Philoxeni? Scimus ex ipso Athenaeo, carmen quoddam fecisse Philoxenum, quo Galatea et Cyclops et Ulysses celebrarentur; ipse vero lateret sub Ulyssis persona; Dionysius tyrannus, Cyclopis. Unde credibile est, istic quoque amoris rivales fuisse Cyclopem et Ulyssem, nam ob amatoriam aemulationem Philoxenus in Latomias coniectus esse ferebatur. At ne sic quidem intelligitur, quomodo vel Galatea, nympha maritima, vel Ulysses ad ovile devenerit, nisi forte Ulysses sub ariete latens significatur. In hac rerum ipsarum obscuritate illud tamen certum esse existimo, v. *ὑπὸ προγόνοις* mendosa esse, in quibus v. *ἀποπρό* latere satis probabiliter coniecit Bambergerus. Fortasse talia dixerat Philoxenus:

αὐλοῖς κηληθείς, τήκετ' ἀποπρὸ γόοις

„nosti desiderium, quo gemens procul ab ea languescebat." *Τήκεσθαι γόοις* cum accusativo constructum neminem offendet graeci sermonis gnarum; quoniam vero tibicinam fuisse Galateam scimus, nihil obstat, quin eius tibicinium amore poëtam imbuerit.

Postrema huius fragmenti verba (v. 95) sic leguntur:

ἄνδρα Κυρηναῖον δ' εἴσω πόθος ἔσπασεν Ἰσθμοῦ
δεινὸν, ὅτ' Ἀπιδανῆς Λαΐδος ἠράσατο
ὀξὺς Ἀρίστιππος, πάσας δ' ἠνήνατο λέσχας
φεύγων, οὐδαμένον ἐξεφόρησε βίω.

Haec ita emendanda esse iudicavit Hermannus: primum *Ἀπιδανῆς* mutavit in *ἀπιθάνης*. Quae etsi elegans emendatio est, tamen dubitari potest, an ita scripserit poëta:

(*δεινὸς*) ita Hermannus secutus Ruhnk. — *τὸν Σικανῆς* vel — *δεινὸν τὸν Σικανῆς.*

Nam Hyccaris oriunda Lais. Ultimum versum sic constituit Hermannus:

φεύγων εὐλιμένων ἐξ Ἐφύρης ὁρίων.

Putat vero significari Aristippi in Aeginam insulam profectionem, ubi stato tempore cum Laide habitare consueverit, quod docet alius Athenaei locus. Verum si non hoc dicturus erat poëta, Corinthi cum Laide philosophum consuesse, cur Corinthi mentio fieret, causam non video; sed Aegina potius memoranda erat. Mirum enim, si unde abierit, non quo profectus sit, dicitur; nec, si quis non est Corinthi, continuo in Aegina est. Nec in Aeginam proficiscebatur, ut vitaret amplioris urbis tumultum; siquidem festos istic dies cum Laide degebat. Immo sic scripsit Hermesianax:

— — *πάσας δ' ἠνήνατο λέσχας*
φεύγων, οὐδ' ἀνέμων ἐξεφόβησε βίη.

„Nec eum exterruit tempestatum violentia." Nimirum constat e quodam loco Diogenis Laert. Arist. c. IV. p. 142 Hubn., Aristippum cum Corinthum navigaret tempestatibus laborasse. Id poëtae animo obversatum esse apparet.

VIII.

ANALECTA CRITICA [1]).

Homer. Iliad. XI, 489.

Homeri carminum qualis fuerit antiquissima forma quaeritur et quaeretur, quousque philologia erit inter mortales. Ad hanc quaestionem solvendam aliquid conferemus, haud magnum sane per se, sed quod totum hoc genus insigni exemplo illustret. Verba Homeri haec sunt:

Αἴας δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἷλε Δόρυκλον
Πριαμίδην, νόθον υἱόν· ἔπειτα δὲ Πάνδοκον οὖτα·
οὖτα δὲ Λύσανδρον καὶ Πύρασον ἠδὲ Πυλάρτην.

Nomina ista, quae nulla aut prosapiae aut virtutis notatione illustrantur, si quis accuratius consideraverit, eiusdem sunt generis. Significant enim deum inferum. *Πάνδοκος, Πολυδέκτης, Πανδέκτωρ* Plutonem significare satis constat; *Πυλάρτης* eiusdem est frequens apud ipsum Homerum epitheton; eodem refertur *Λύσανδρος*, qui mortalium artus solvit; denique *Πύρασος* est qui mortua corpora rogo imponit. Nam quod prior v. syllaba producta est, nihil offensionis habet, quia et ictus et accentus eo vergunt, duae autem eam breves syllabae excipiunt. Quid igitur? Aiax cum Plutone pugnasse dicitur. Porro illud quoque animum advertas velim. Verbo usus est *οὖτα*, non interficiendi, sed vulnerandi proprio. Nam deus vulnerari, non interfici potest.

Iam vide mihi totam narrationis compagem. Ulysses vulneratus Aiacis auxilio morte liberatur. Quid igitur tam certum est, quam poëtam, qui haec primus animo concepit et versibus inclusit, ita rem narrasse: deus inferorum Ulyssi vulnerato manum iniecit, tamquam sibi debito. At Aiax praesto

---

1) Rheinisches Museum 1841, p. 447 sqq.

est, qui Plutone sauciato Ulyssem superis auris vindicat. — Illud quoque certum est, non intellexisse haec, qui in hodiernam formam ista redegit; non enim ita ea interpolasset, ut totam vim narrationis perderet; at tamen non ea fuit audacia, ut nominibus Plutonem significantibus genus adiiceret vel aliud quidquam, quod ex ipsius ingenio hauriendum esset. Aiax autem et Ulysses non temere consociati sunt. Iste nunc ab Aiace servatur, qui aliquando ei futurus est auctor interitus. Vide igitur, ne fragmentum habeamus carminis fortia facta Aiacis et mortem indignissimam celebrantis.

Aesch. Pers. 93.

δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πηδήματος εὐπετέος ἀνάσσων;

In his neque numeri ferri possunt, neque sententia apta est. Et illud quidem dubium non est, quin *ἀνᾴσσων* scripserit poëta; quod nequit cum genitivo conciliari. At etiamsi posset, laboraret sententia. Neque enim quaeritur, utrum quis in genere salire possit, sed tam procul, ut mortem effugiat. Igitur sic locum sanandum esse mihi persuadeo:

τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πήδημα τόδ' εὐπετῶς ἀνᾴσσων;

Hoc enim de more dictum est, *ἀνᾴσσειν πήδημα*, et insertum illud *τόδε* saliendi notionem iusta circumscriptione coercet. Infra v. 100 eiusdem carminis haud recte opinor editum est: *τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν*, cum scribi oporteret *ὑπέκ*.

Aesch. Agam. 472.

πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται
ταχύπορος· ἀλλὰ ταχύμορον
γυναικοκήρυκτον ὄλλυται κλέος.

Ὅρος quid sibi velit, haud perspicio. Scripsit opinor:

πιθανὸς ἄγαν, ὁ θῆλυς ὄαρος ἐνεμέθη.

Huius interpretamentum fuit *ἐπινέμεται*.

Aesch. Agam. 541.

μόχθους γὰρ εἰ λέγοιμι καὶ δυσαυλίας,
σπαρνὰς παρήξεις καὶ κακοστρώτους.

Παρῆξεις appulsus et in terram egressiones significare volunt, nullo, quod sciam, exemplo. Vide ne haec sit poëtae manus:

μόχθους γὰρ εἰ λέγοιμι καὶ δυσαυλίας
σπαρνάς τ' ἀρῆξεις καὶ κακοστρώτους·

in quo *ἄρηξις* medelam, solamen significet.

Aesch. Agam. 1060.

ἃ ἃ μισόθεον μὲν οὖν, πολλὰ συνίστορα
αὐτοφόνα [τε] κακὰ καρτάναν,
ἀνδρὸς σφαγεῖον καὶ πέδον ῥαντήριον.

De Aeropae suspendio locutum esse poëtam vix crediderim. Nam neque in proximis ulla illius mentio facta est, neque Aeschylus commemorare amat, quae ad rem non pertinent. Illud vero certissimum est, *ἀνδρὸς σφαγεῖον* non posse ad Agamemnonem referri, ut visum est quibusdam. Diu est igitur, ex quo hanc proposui loci scripturam:

αὐτοφόνα τε κακὰ κάρτάμου
ἀνδρὸς σφαγεῖον καὶ πέδον ῥαντήριον.

Iam vero *ἀνδροσφάγειον* in unum verbum colligi satius videtur. Possimus sic quoque loci et numeris et sententiae mederi:

αὐτοφόνα κακά, καρατόμον
ἀνδροσφάγειον καὶ πέδον ῥαντήριον.

Numeri autem versus prioris hi sunt:

–́ ⏑ ⏓ ⏓ | ⏑ ⏖́ –́ ⏑ ⏓ : amphimacer cum dochmio.

Aesch. Agam. 1642.

στείχετ' οἱ γέροντες [ἤδη] πρὸς δόμους πεπρωμένους,
πρὶν παθεῖν ἔρξαντα καιρὸν χρῆν τάδ' ὡς ἐπράξαμεν.

In his ineptum est *δόμους πεπρωμένους*, quod nihil aliud significet, quam ad suas cuiusque aedes. Tales insubidum est fato alicui assignatas appellare. Imo locus ita distinguendus et emendandus est:

στείχεθ' οἱ γέροντες ἤδη πρὸς δόμους· πεπρωμένους
πρὶν παθεῖν ἔρξαντ' ἄκαιρον χρῆν τάδ' ὡς ἐπράξαμεν.

„Fato destinatos oportebat nos sic animadvertere in eum, qui ante quam poenas daret, iniquum facinus commisit." *Πεπρωμένους χρῆν ὡς ἐπράξαμεν* constructione Graecis usitatissima nihil aliud est quam hoc: *πεπρωμένους ἡμᾶς ἐχρῆν πρᾶξαι.* Nam *χρή* et *δεῖ* et alibi cum *ὅπως* et *ὡς* copulata reperiuntur. *Ἄκαιρος* vero eadem vi dixit poëta huius fabulae v. 782:

τόν τε δικαίως καὶ τὸν ἀκαίρως
πόλιν οἰκουροῦντα πολιτῶν.

Similiter παρακαίριος usurpavit Hesiodus Op. et D. 329. Iam χρή per se dictum saepe fati necessitatem indicat; sed πεπρωμένους poëta adiecit et in initio enunciationis collocavit, quia tota sententiae vis ea notione continetur. Ad illam enim ipsam facinoris excusationem Clytaemnestra confugit, ut fati necessitate et cruenti daemonis instinctu se illud commisisse dicat.

Aesch. Choeph. 624.

αἰδὼς γὰρ ἐν λεχθεῖσιν οὐκ ἐπαργέμους
λόγους τίθησιν· εἶπε θαρσήσας ἀνὴρ
πρὸς ἄνδρα κἀσήμηνεν ἐμφανὲς τέκμαρ.

V. ἐν λεχθεῖσιν perinepta sunt. Vt iam mittamus v. λέγεσθαι et λόγους haud eleganter copulata; at ne recte quidem, si ita dixit, locutus est poëta. Debebat enim λεγομένοις, quia pudor, qui versatur in eis quae dicta sunt, non amplius verba obscurare potest, sed ubi quis cum maxime loquitur, aut ubi dicendum est, pudor superveniens orationem conturbare solet. Quapropter locum ita scribendum existimabam:

αἰδὼς γὰρ ἐν λέσχαισιν οὐδ' ἐπαργέμους
λόγους cet.

Quam coniecturam scholiastae interpretamento egregie confirmari postea intellexi. Is enim haec habet: ἐν λεχθεῖσιν· ἐν ταῖς πρὸς γυναῖκας ὁμιλίαις. In eandem vero loci emendationem statim incidit vir summus Godofredus Hermannus, cum et scholion et vulgatam scripturam coram eo commemorassem in iucundissimo illo Gothano philologorum coetu.

Sophocl. Oedip. Colon. 1069.

ἔρδουσιν ἢ μέλλουσιν; ὡς
προμνᾶταί τί μοι
γνώμα τάχ' ἂν δώσειν
τὰν δεινὰ τλᾶσαν, δεινὰ δ' εὑροῦσαν πρὸς αὐθαίμων πάθη.

Antigonam hic solam respici, etsi ambae sorores abductae sint, nihil offensionis habet, atque eodem genere dicendi saepius in hac ipsa fabula usus est poëta. Ismena enim ubique secundas agit et tamquam umbra sororis est. At aliud quempiam offendat: v. δώσειν. Scholiasta interpretatur ἐνδώσειν; nisi forte is in suo exemplo ἐνδώσειν pro ἂν δώσειν scriptum repperit. Quod cum ineptum esset, recentiores in-

terpretes v. *διδόναι* hic reddendi vim vel restituendi tribuerunt, quasi *ἀποδώσειν* legeretur. Quam verbi vim idoneis exemplis vellem comprobassent. Porro cum v. *μέλλουσιν ἢ ἔρδουσιν* ad Athenienses haud dubie referantur, subita subiecti permutatio incommoda est (nam *δώσουσι* ad Thebanos revocant). Restituendum igitur Sophocli *σώσειν* una mutata literula. *Σώζειν* enim de recuperatione captivorum frequentatur, et in hac ipsa fabula aliquoties ita usurpatum est.

Soph. Philoct. 187.

ἁ δ' ἀθυρόστομος
'Αχὼ τηλεφανὴς πικρᾶς
οἰμωγᾶς ὑποκεῖται.

Haec verba merito suspecta fuerunt interpretibus. Scholiasta: *ἡ ἠχὼ πρὸς τὸν ὀδυρμὸν ἀντιφθέγγεται:* eamque sententiam desiderari non obscurum est. Ad eam proxime accedit Brunckii et Schneidewini mei coniectura. Et Brunckius quidem *ὑποκεῖται* in *ὑπακούει* mutabat, quo auscultare, non respondere fecit Echo; at respondendi notionem v. *τηλεφανής* requirere videtur. Schneidewinus vero ita locum emendari voluit:

τηλεφανὴς πικρᾶς
οἰμωγᾶς ὑποκλάει —

genitivum regi opinatus a v. *τηλεφανής*, cui vim activi tribuit. Id quod fieri posse non nego; at orationem simpliciorem desidero et usitatam v. *τηλεφανής* significationem. Videndum igitur, ne ita Sophocles scripserit:

ἁ δ' ἀθυρόστομος
'Αχὼ τηλεφανὴς πικραῖς
οἰμωγαῖσιν ὑπαχεῖ.

Solon. Eleg. IV. Schneidewin. Del. p. 24.

v. 9. *πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοὶ παραγίγνεται ἀνδρὶ*
ἔμπεδος ἐκ νεάτου πυθμένος εἰς κορυφήν·
ὃν δ' ἄνδρες τιμῶσιν, ὑφ' ὕβριος οὐ κατὰ κόσμον
ἔρχεται, ἀλλ' ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενος
οὐκ ἐθέλων ἕπεται· ταχέως δ' ἀναμίσγεται ἄτῃ.

Verissime distinctionem illam, qua *ὑφ' ὕβριος* ab antecedentibus divellitur, falsam esse indicavit Hermannus in cen-

sura Delectus Schneidewiniani. At vel mutata interpunctione aliquid incommodi relinquitur. Perperam enim ὃν δῶσι θεοί et ὃν ἄνδρες τιμῶσιν inter se opponuntur. Opes enim divinitus datae vel maxime apud mortales in honore sunt. Puto igitur Solonem haec dixisse:

ὃν δ' ἄνδρες διφῶσιν ὑφ' ὕβριος, οὐ κατὰ κόσμον —

Conf. cuius haec imitationem continent, Hesiod. Op. et D. 320. In eandem sententiam et rectius fortasse Ahrensius et Bambergerus: *μετίωσι*.

Ibid. V. 32.

ἀναίτια ἔργα τίνουσιν
ἢ παῖδες τούτων ἡγεμόνων ὀπίσω.

Cod. A. apud Grotium *προγόνων ὀπίσω*. Fortasse *τὸ γόνων ὀπίσω* scribendum est: liberorum posteri. Mox v. 34:

δεινὴν εἰς αὐτοῦ δόξαν ἕκαστος ἔχει
πρίν τι παθεῖν· τότε δ' αὖ τις ὀδύρεται·

In libris est pro v. *δεινὴν* — *ἐνδὴν* et *ἐκδὴν*; id rectius mutabitur in *κεδνὴν* quam in *ἐσθλήν*, quorum alterum utrum postulat sententiarum nexus.

Solon. Eleg. 2. *Schneidew. Del. p.* 19.

ἐκ γὰρ δυσμενέων ταχέως πολυήρατον ἄστυ
τρύχεται ἐν συνόδοις τοῖς ἀδικοῦσι φίλους.

In aliis libris est *φίλοις*. Utrumque opinor perperam. Nam scripsisse Solon videtur:

τρύχεται ἐν συνόδοις· τοῖς δ' ἀδίκοις ὄφελος·

„scelestorum ex re est."

Tyrtaei Eleg. 8. *Schneid. p.* 7.

ἴστε γὰρ ὡς Ἄρεος πολυδάκρυος ἔργ' ἀΐδηλα,
εὖ δ' ὀργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου.

Scribendum est *ἴστε γὰρ Ἄρηος π.* Nam multum ad sententiam refert, utrum praetuleris. Quod vulgatur revocantis est a belli muneribus; quod nos proposuimus, e familiaritate cum militia contracta virtutem commendantis.

Theogn. v. 295. *Schneidw. p.* 71.

κωτίλῳ ἀνθρώπῳ σιγᾶν χαλεπώτατον ἄχθος·
φθεγγόμενος δ' ἀδαής, οἷσι παρῇ, μέλεται.
ἐχθαίρουσι δὲ πάντες, ἀναγκαίη δ' ἐπίμιξις
ἀνδρὸς τοιούτου συμποσίῳ τελέθει.

Brunckius v. 2. *ἀαδὴς* et *πέλεται* scripsit; sententia plana,

sed quae acumen non haberet. V. ἀαδής autem an non graecum sit, dubitari potest. Nam quod apud Hesych. est: ἀαδής ἀηδής, ad doricam potius v. ἀηδής formam referendum esse videtur. Vide igitur ne haec sit Theognidis manus:

φθεγγομένου δ' ἀλέης, οἶσι παρῇ, μέλεται·

„Vbi loquitur, fuga cordi est, quibuscunque adest." Plut. de Garr. 2. πᾶς φεύγει προτροπάδην.

Theogn. v. 985. *p.* 106.

αἵτε ἄνακτα φέρουσι δορυσσόον ἐς πόνον ἀνδρῶν
λάβρως, πυροφόρῳ τερπόμεναι πεδίῳ.

Haec Hermanno molesta fuerunt, et mihi quidem in v. τερπόμεναι erratum esse videtur. Scribo σπερχόμεναι. Vereor enim, ut agro segetum fertili, sed ad currendum non satis apto, equi valde delectari potuerint.

Theogn. v. 1013. *Schn. p.* 107.

ἆ μάκαρ εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὅστις ἄπειρος
ἄθλων εἰς Ἀΐδεω δῶμα μέλαν καταβῇ,
πρίν γ' ἐχθροὺς πτῆξαι καὶ ὑπερβῆναί περ ἀνάγκῃ
ἐξετάσαι τε φίλους, ὅντιν' ἔχουσι νόον.

Schneidewinus: ὑπερβῆναι est peccare. Peccandi notio opinor ab hoc loco aliena est; et aliud scripsisse poetam additum v. πέρ ostendit. Sententia tale quid flagitat:

καὶ ὑπερμενέας περ ἀνάγκῃ·

„et necessitate adductum inimicos quamvis superbos adulari."

Theogn. v. 1031. *p.* 108.

ἔχθει μηδ' ἄχθου, μηδὲ φίλους ἀνία.

Scripsit opinor non ἔχθει sed ὄχθει.

Theogn. v. 1044. *p.* 109.

εὕδωμεν· φυλακὴ δὲ πόλευς φυλάκεσσι μελήσει
ἀστυφέλης ἐρατῆς πατρίδος ἡμετέρης.

Mirum illud epitheton ἀστυφέλης: si Megaris intelligitur, ne aptum quidem. Vide ne εὐσταφύλης dederit poeta.

Theogn. v. 1115. *Schn. p.* 112.

χρήματ' ἔχων πενίην μ' ὠνείδισας·

Scribe μοι ὀνείδισας.

Theogn. v. 1195. *p.* 116.

μήτι θεοὺς ἐπίορκον ἐπόμνυθι· οὐ γὰρ ἀνεκτὸν
ἀθανάτους κρύψαι χρεῖος ὀφειλόμενον.

Imo ἀνυστόν, non ἀνεκτόν.

Theogn. v. 1356. p. 123.

αἰεὶ παιδοφίλῃσιν ἐπὶ ζυγὸν αὐχένι κεῖται
δύσμορον, ἀργαλέον μνῆμα φιλοξενίης.

Difficilis est horum verborum explicatio, etsi interpretibus non fuerint suspecta. Satis constat Laium puerorum amatoribus viam praeivisse. Is hospitalitatis iure violato Chrysippum, Pelopis filium, secum abduxit. Hanc fabulam a poeta respici credibile est. Quod si ita est, non *μνῆμα φιλοξενίης* sed *μνῆμ' ἀλιτοξενίης* scribendum esse iudico.

Theogn. v. 1372.

μυρία δ' ἐξ αὐτοῦ κρέμαται κακὰ, μυρία δ' ἐσθλά.
ἀλλ' ἔν τοι ταύτῃ καί τις ἔνεστι χάρις.

Subiectum orationis Amor est; *ταύτῃ* quo referatur non habet. Scribe *ταὐτῷ*.

Philet. Eleg. 12. apud Schneid. p. 146.

τῷ οὔ μοι πολέων γαίης ὕπερ οὐδὲ θαλάσσης
ἐκ Διὸς ὡραίων ἐρχομένων ἐτέων·
οὐδ' ἀπὸ Μοῖρα κακῶν μελέῳ φέρει, ἀλλὰ μένουσιν
ἔμπεδα, καὶ τοῖσιν δ' ἄλλα προσαυξάνεται.

Reliqua huius fragmenti verba non admodum obscura sunt; sed versus primus laborat; quem ita emendaverim:

τῷ οὔ μοί πλεῖον γ.

„Propterea nihil ad me utilitatis redundat ex annorum tempestatumque vicissitudine, quae super mare atque terram feruntur (bonorum affluentiam salutemque reliquis impertientes)."

Hipponactis.

Apud Mar. Plot. p. 286. (conf. Schneid. Coniect. critic. p. 141.) exemplum affertur versus Hipponactei, qui secundo loco spondeum habeat. Literae autem hae sunt:

ΟΚΙΟΛΡΡΟΝΛΙΛΙΟΙΟϹΙΝЄϹΧΟΡΟΙϹΒΑΚΧΩΝ.

Verissime postrema versus pars ita emendata est:

ἐγ χοροῖς Βακχῶν.

Igitur totum versum sic emendo:

ὁ Κιθαιρὼν εὐΐοισιν ἐν χοροῖς Βακχῶν.

Alcaei fragm. Schneid. Delect. p. 275,

apud Ahrensium meum de dialectis Aeolicis p. 246.

Τέγγε πνεύμονα οἴνῳ· τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται,
ἁ δ' ὥρα χαλέπα, πάντα δὲ δίψαισ' ὑπὰ καύματος.
ἄχει δ' ἐκ πετάλων ἄδεα τέττιξ, πτερύγων δ' ὕπα

κακχέει λιγύραν ... ἀοίδαν ... ὅπποτα
φλόγιον καθέταν ἐπιπτάμενον καταυδείη.

Pro v. *καταυδείη* Schneider. *καταυλείη*, quod probat Ahrensius, modo scribatur *καταυλέη*, ut sit coniunctivus. Satis constat Hesiodei loci imitationem haec continere O. et D. 584.

ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ καὶ ἠχέτα τέττιξ
δενδρέῳ ἐφεζόμενος λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδὴν
πυκνὸν ὑπὸ πτερύγων θέρεος καματώδεος ὥρῃ.

Haec igitur lyrica verborum magnificentia ita exornavit, ut plurima Hesiodea retineret. Neque ego dubito, quin in v. *καταυδείη* miserrime corrupto *καματώδεα* lateat; reliqua sic, opinor, redintegranda sunt:

— — *θεὸς ὅπποτα*
φλογμὸν πρὸς καθέταν ἱστάμενος θῇ καματώδεα·

„cum sol ad perpendiculum constitutus languidos aestus demittit."

Antiphanis fragm. Athen. XIV, p. 618, *b.* Meinekii Com. Fr. T. III, p. 24.

A. *ποίαν, φράσον γάρ, ἡδέτην συναυλίαν*
ταύτην; — B. *ἐπιστάσαι γὰρ ἀλλ' ηὔλουν ἔτι*
μαθόντες, ὥστε τοὺς αὐλοὺς σύ τε
αὐτῇ τελετῇ ψεθείθαμεν συντυγχάνεις
αὐλῶν πέραινε. δέξεται δὲ τἄλλα σοι.
ἡδύ τι κοινόν ἐστιν, οὐ χωρὶς πάλιν·
συννεύματ' οὐ προβλήμαθ' οἷς σημαίνεται
ἕκαστα.

Haec ita videntur emendanda esse:

A. *ποίαν, φράσον γάρ, ἡδέτην συναυλίαν*
ταύτην; — B. *ἐπιστάσεσθέ γ', ἀλλήλοιν ἔπι*
μαθόντες, ὧδε· [πρῶτα] τοὺς αὐλοὺς σύ τε
αὔτη τε λήψεσθ'. εἶθ' ἃ μὲν σὺ τυγχάνεις
αὐλῶν, πέραινε· δέξεται δὲ τἄλλα σοι·
ἤδη τι κοινόν ἐστι· σοῦ χωρὶς πάλιν·
συννεύματ' οὐ προῤῥήμαθ', οἷς σημαίνεται
ἕκαστα.

In v. 1 *ἡδέτην* Petiti est. In libris legitur *ἧδε τήν.* Vers. 2. ita correxi, ut res ipsa flagitabat; *μανθάνειν ἐπί τινος* est

discere aliquo tamquam exemplo. Ceterum versus sic quoque expleri poterat:

οὕτω μαθόντες, ὥστε —

V. 4. verissime emendarunt partim Dindorfius, partim Meinekius. V. 6. Dindorfius ἤδη recte, opinor, pro ἡδύ rescribendum esse vidit; reliquae emendationis ratio non latet. V. 7. ita constitui, ut singula non verbis sed nutu significari dicantur.

Eubuli, Ath. X, p. 449, *e.* Mein. III, p. 255.

ἔστιν ἄγαλμα βεβηκὸς ἄνω, τὰ κάτω δὲ κεχηνὸς.
εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς τετρημένον, ὀξὺ διαπρὸ,
ἀνθρώπους τίκτον κατὰ τὴν πυγὴν ἕν' ἕκαστον·
ὧν οἱ μὲν μοίρας ἔλαχον βίου, οἱ δὲ πλανῶνται.
αὐτὸ δ' ἕκαστος ἔχων αὐτὸν, καλέω δὲ φυλάττειν.

Vltimus versus intelligi nequit. Fortasse ita haec scripsit Eubulus:

πλανῶνται,
αὐτὸς ἕκαστος ἔχων αὐτὸν, κόλπῳ δὲ φυλάττει.

Tabellas, quibus candidatorum nomina inscripta erant, postquam ex urna prodiere, singulis redditas esse et ab his sinu conditas, consentaneum est.

Philetaeri, Ath. I, p. 21, *c.* Mein. III, p. 300.

Φιλέταιρος· ἀμφὶ στέρνοις φᾶρος οὐ καθήσεις,
τάλαν, μηδ' ἀγροικῶς ἄνω γόνατος ἀμφέξει;

De sententia dubitari nequit; sed versus aliter digerendos existimo, quam visum est editori praestantissimo; sunt cretici cum dochmiis copulati:

[σὺ δ'] ἀμφὶ στέρνοις
φᾶρος οὐ καθήσεις, τάλαν·
μηδ' ἀγροικῶς ἄνω γόνατος ἀμφέξει.

Epicratis, Ath. II, p. 59, *c.* Mein. III, p. 371.

Describitur Platonis schola. Inquiritur in naturam cucurbitae. Homo autem importunus, medicus Siculus

— κατέπαρδ' αὐτῶν
ὡς ληρούντων.

A. ἦ που δεινῶς ὠργίσθησαν
χλευάζεσθαί τ' ἐβόησαν·
τὸ γὰρ ἐν λέσχαις ταῖσδε τοιαυτὶ
ποιεῖν ἀπρεπές.

B. οὐδ' ἐμέλησεν τοῖς μειρακίοις·

ὁ Πλάτων δὲ παρὼν καὶ μάλα πρᾴως,
οὐδὲν ὀρινθεὶς ἐπέταξ' αὐτοῖς
πάλιν * * * *
ἀφορίζεσθαι τίνος ἐστὶ γένους.

Meinekius: Recte Porsonus et Dindorfius coniecisse videntur πάλιν ἐξ ἀρχῆς. Praeterea cucurbitae commemorationem desidero. Itaque totus versus ita scribendus esse videtur πάλιν ἐξ ἀρχῆς τὴν κολοκύντην cett. De quo non mihi convenit cum viro egregio. Scripsisse opinor Eubulum:

ἐπέταξε πάλιν πορδὴν αὐτοῖς
ἀφορίζεσθαι τίνος ἐστὶ γένους.

Cratini minoris, Ath. VI, p. 241, *c.* Mein. III, p. 377.

— — Κόρυδον τὸν χαλκοτύπον πεφύλαξο,
ἢν μή σοι νομιεῖς αὐτὸν μηδὲν καταλείψειν,
μηδ' ὄψον κοινῇ μετὰ τούτου πώποτε δαίσῃ.

Secundus versus aliter ab aliis tentatus est. Porsonus: εἰ μή σοι — Lobeckius: οὐ μή σοι —. Meinekius, cui haec recte displicuerunt, totum versum abesse mavult. At minime ineptus est leniter emendatus:

ἢ μή σοι νομίσῃς —

„Alioqui noli existimare, quidquam eum tibi relicturum esse."

Alexidis, Ath. XIII, p. 568, *a.* Mein. III, p. 423.

Exponitur quibus artibus meretrices corporis vitia emendare vel abscondere soleant:

— — κοιλίαν ἁδρὰν ἔχει·
στηθί' ἔστ' αὐταῖσι τούτων, ὧν ἔχουσ' οἱ κωμικοί·
ὀρθὰ προσθεῖσαι τοιαῦτα τοὔνδυτον τῆς κοιλίας
ὡσπερεὶ κοντοῖσι τούτοις εἰς τὸ πρόσθ' ἀπήγαγον.

Ita hunc locum dedit Meinekius, aliquanto emendatiorem, quam in libris legitur. Idem praeferre se dicit προστιθεῖσα ταῦτα et ἀπήγαγεν. Sed ut ταῦτα et τούτοις haud eleganter copulata iam omittam, at sententia laborat. Nam venter veste protracta non poterat quin magis etiam prominere videretur. In Athenaei libris est:

ὀρθὰ προσθεῖσαι τοιαῦτα γοῦν αὐτῶν τῆς κοιλίας —

Apud Clementem:

ὀρθὰ προσθεῖσα οὐτοντύνδυτον τῆς κοιλίας —

Quapropter hanc coniicio ipsius poëtae manum fuisse:

ὧν ἔχουσ' οἱ κωμικοὶ

ὀρθά· προστιθεῖσα τοῦτο τοὔνδυτον τῇ κοιλίᾳ,
ὡσπερεὶ κοντοῖσι τοὔπισθ' εἰς τὸ πρόσθ' ἀπήγαγεν.

Dicitur igitur indumentum illud (*στηθία*) eum in modum ventri adaptari, ut quae corporis partes nimis subsiderent et recederent, iam prominerent.

Alexidis apud Stob. CXIX, 15. Mein. III, p. 490.

τίς οὐχὶ φήσει τοὺς ἐρῶντας ζῆν μόνους;
εἰ δεῖ γε πρῶτον μὲν στρατευτικωτάτους
εἶναι, πονεῖν τε δυναμένους τοῖς σώμασιν
μάλιστα, προσεδρεύειν τ' ἀρίστους τῷ πόθῳ,
ποιητικοὺς, ἰταμοὺς, προθύμους, εὐπόρους,
ἐν τοῖς ἀπόροις βλέποντας, ἀθλιωτάτους.

Duo versus postremi male habuerunt interpretes. Iacobsius: *εὖ πόρους ἐν τοῖς ἀπόροις βλέποντας:* idem *ἀλκιμωτάτους.* Meinekius *ἀθλικωτάτους*, ut leniorem medelam, praefert, si modo vulgata ferri nequeat. At hoc quidem certum esse existimo, copulanda esse v. *εὐπόρους ἐν τοῖς ἀπόροις*, nec his quidquam demendum esse vel addendum, qualis Iacobsii est emendatio, et Meieri, qui *εὐπόρως* commendavit in Ephem. Halensib. Igitur locum ita emendari velim:

— *εὐπόρους*
ἐν τοῖς ἀπόροις, βλέποντας ἐν ἀλαωτάτοις.

In rebus obscurissimis, in tenebris cernentes.

Alexidis, Ath. XIII, p. 562, f. Mein. III, p. 496.

Ambulans quidam de amoris natura meditatur. Intelligit, artifices non recte eius indolem expressisse. Deinde exponit, qualem ipse sibi eum animo informaverit. Postremo haec dicit:

καὶ ταῦτ' ἐγὼ, μὰ τὴν Ἀθηνᾶν καὶ θεούς,
οὐκ οἶδ' ὅ,τι ἐστὶν, ἀλλ' ὅμως ἔχει γέ τι
τοιοῦτον, ἐγγύς τ' εἰμὶ τοὐνόματος.

Haud temere Dobraeus ad *τοὐνόματος* offendit. Nomen enim Amoris minime fugiebat eum, qui loquitur, et nominavit in antecedentibus;

καί μοι δοκοῦσιν ἀγνοεῖν οἱ ζωγράφοι
τὸν Ἔρωτα.

At cuius Dobraeo in mentem venit, *πράγματος*, quomodo in vulgatam abire potuerit, non intelligo. Scribo: *τοῦ νοήματος.*

Axiochi, Ath. VI, p. 244, *f.* Mein. III, p. 531.

οἶνος οὐκ ἔνεστι.

αὐτοῖς πρὸς ἑταίρους πρόφασιν ἐπὶ κῶμόν τινας,
ὅπερ ποιεῖν εἴωθε Γρυλλίων ἀεί.

Videntur haec ita emendanda:

οἶνον οὐκ ἔνεστ' ἔτι
αἰτεῖσθ' ἑταίρους πρόφασιν ἐπὶ κῶμόν τινα.

Πρόφασιν vim habet adverbii.

Axionici, *Ath. III*, *p.* 95, *c.* Mein. III, p. 535.

— — ζωμὸν ποιῶ
θερμὸν ἰχθὺν ἐπαναπλάττων, ἡμίβρωτα λείψανα
συντιθεὶς, οἴονται ἄνω ἔντερ' ἀλὶ καὶ σιλφίῳ
σφενδονῶν cet.

Vers. 3 ita corrigendus esse videtur:

συντιθεὶς, οἴνῳ διαίνων, ἔντερ' cet.

Dionysii, *Ath. IX*, *p.* 404, *e.* Mein. III, p. 548.

μὴ πάντ' ἄκουε μηδὲ πάντα μάνθανε,
τῶν βιαίων ἔσθ' ἕνεκα τὰ γεγραμμένα
κενὰ μᾶλλον ἢ ὅτ ἦν οὐδέπω γεγραμμένα.

Haec male luxata sunt, ut Meinekio locus interpolatus esse visus sit. Coquus artis suae interpres dissuadet usum librorum rem culinariam illustrantium. Igitur sic scribo:

μὴ πάντ' ἄκουε μηδὲ πάντα μάνθανε·
τῶν γὰρ βιβλίων ἴσθ' οὕνεκα τὰ γεγραμμένα
κενὰ μᾶλλόν ἐστιν οὐδέπω γεγραμμένων.

Ludit in ambiguitate v. *κενός*, quod librum et vacuum et inutilem significat.

Postrema huius fragmenti verba fortasse ita scribenda sunt:

παραθῶ τε δεῖπνον ὄζον αὔρας Ἀττικῆς·
ἐξ ἀντλίας δ' ἥκοντα καὶ γέμοντ' ἔτι
φορτηγικῶν μοι βρωμάτων ἀγωνίαις,
οὐ μὴ ποιήσω νυστάσαι παροψίδι.

In libris deest post *ἀντλίας* particula; *ἀγωνίαις* vel *ἀγωνίας* molestiam significat, qua cibi tales concoquebantur. Est vero ea scriptura librorum mss. a Meinekio in *ἀναγωγίαις* mutata. In v. ultimo libri habent *εἰ μή*. Ex mea emendatione hoc dicit Dionysius: „Impediam, quominus obdormiscat; i. e. efficiam ut alacriter mandat."

Dionysii, *Ath. VIII*, *p.* 381, *c.* Mein. III, p. 552.

Coquus alicui discipulo furandi artem tradit:

εἰς αὔριον σὲ κἀμὲ ταῦτ' εὐφρανάτω.

λαφυροπώλη παντάπασι μεταδίδου,
τὴν πάροδον ἵν' ἔχῃς τῶν θυρῶν εὐνουστέραν.

V. *λαφυροπώλη* non intelligere se fatetur Meinekius, nec quisquam opinor intelliget. Scripsit autem Dionysius:

— *ταῦτ' εὐφρανάτω*
τὰ λάφυρα· πυλωρῷ παντάπασι cet.

Et corruptelae et emendationis ratio manifesta est.

Dionysii, *Ath. XIV*, *p.* 615, *e.* Mein. III, p. 553.

Κηφισόδωρόν φασιν ἐπικαλούμενον
πλάνον τίν' ἐν 'Αθήναις γενέσθαι, τὴν σχολὴν
εἰς τοῦτο τὸ μέρος τοῦ βίου καταχρώμενον.
τοῦτον ἐντυχόντα πρὸς τὸ σιμὸν ἀνατρέχειν
ἢ συγκαθεῖναι τῇ 'πὶ τῇ βακτηρίᾳ.

Emendandi viam monstravit Iacobsius, qui v. postremum a v. *ἥσυχα* incepisse coniiceret. Puto autem ita reliqua corrigenda esse:

ἥσυχα κατιέναι δ' ἐπί τε τῇ βακτηρίᾳ.

„Pedetentim et bacillo fultus descendebat."

Eubulidis, *Ath. X*, 437, *d.* Mein. III, p. 559.

σοφιστιᾷς κάκιστε, καὶ χοῶν δέει
τῶν μισθοδώρων οὐκ ἀδείπνων ἐν τρυφῇ.

Dobraeus: *σῦκα δειπνῶν ἐντρυφᾷς.* Ex his Meinekio *σῦκα δειπνῶν* valde arridet. At si sana sit vulgata, nescit an vertendum sit: „Non sinentium te, dum alii luxuriantur, incoenatum esse." Argutiora ista. Eubulides opinor ita scripserat:

οὐκ ἀδείπνῳ σὺν τρυφῇ.

Nam festis illis diebus et dona magistris mittebantur, et epulae apparabantur lautiores. Facile autem intelligitur tragici sermonis ludicra imitatio.

Heniochi, *Athen. IX*, *p.* 408, *a.* Mein. III, p. 362.

— *ὡς δ' ἀεί ποτε*
περὶ τοὺς κυάμους ἔσθ' οὗτος ὁ σοφιστὴς τέλος.

Iacobsius *τέλος* mutat in *πολύς:* Meinekius ad sequentia v. *τέλος* trahendum existimat. Leniore medela scripseris *ἔσχ'* pro *ἔσθ'*.

Mnesimachi, *Ath. X*, *p.* 417, *e.* Mein. III, p. 567.

εἰμὶ γὰρ Βοιώτιος,
ὀλίγα μὲν ἄλλων δίκαια ταῦτα, πολλὰ δ' ἐσθίων.

Mein. in ἄλλων — λαλῶν latere recte, opinor, perspexit. Videtur autem ita Mnesimachus scripsisse:

ὀλίγα μὲν λαλῶν, ἀναγκαῖ' αὐτά, π.

Pauca, ipsa necessaria, loquens.

Sotadis, Athen. VII, p. 293, *a.* Mein. III, 585.

λάβρακα μετὰ ταῦτ' ἐπριάμην καλὸν σφόδρα,
ἔσται δι' ἅλμης λιπαρὸς ἑφθὸς ἐν χλόῃ·
ἀποδοὺς ὅσ' ἐστὶν ἀπ' ὀβελίσκων ὀπτανά,
τρίγλας seqq.

Haec non citra distinctionem corrupta sunt; nam post χλόῃ commate interpungendum, post ὀπτανά plena interpunctione opus est. Sententia haec est: Postquam dedit (ὁ λάβραξ) quae assanda sunt; i. e. resectis iis partibus, quae melius assantur. Obiter moneo, Meinekium III. p. 500 in verbis Alexidis ἀλλ' ἔγωγε τοῦ τὰ δέοντ' ἔχειν τὰ περιττὰ μισῶ· recte servasse scripturam vulgatam, non recte genitivum explicuisse. Suspensus est enim e v. περιττά, ut Xenoph. περιττὰ τῶν ἀρκούντων dixit.

Timoclis, apud Stob. Flor. CXXV, 10. Mein. III, 611.

τοῖς μὲν τεθνεῶσιν ἔλεος ἐπιεικὴς θεός,
τοῖς ζῶσι δ' ἕτερον ἀνοσιώτατον φθόνος.

F. δὲ τέρας ἀ.

Theophili Athen. XIII, 563, *a.* Mein. III, 631.

Loquitur de deliciis suis, pulcerrima puella,

ἣν ἔστ' ἰδεῖν ἥδιον, ἢ τὸ θεωρικὸν
ἔχουσιν ὑμῖν διανέμειν ἑκάστοτε.

Meinekio vitium latere visum est in v. διανέμειν. Quod non concedo viro doctissimo. Sententia enim haec est, ut docet prior pars huius fragmenti: Amantes maioribus gaudiis afficiuntur, quam qui ad rem publicam accesserunt, et muneribus funguntur vel maxime expetitis, quale erat munus quaestorium. Sed ἔχουσιν nequit intelligi. Scribe ἑκοῦσιν, quo lepide perstringitur largitionum nimium apud Athenienses studium.

IX.

ADOLPHUS EMPERIUS IACOBO GEELIO S. [1]).

Audio, Vir Praestantissime, Te philologorum coetui Bonnensi interfuisse. Quo maiore aegritudine affectus sum, quod per valetudinem satis infirmam eo proficisci non mihi licuit. Nam coram Te videre, et sermones Tecum conferre, et ore grates Tibi agere multorum causa, quae benignissime in me contulisti, semper in votis fuit. Id quoniam non mihi fuit concessum, his litterulis Te peto. Referentur autem eodem, quo censura Tuarum lucubrationum, quam in his Annalibus publicavi, ad Dionem, cuius studium commune nostrum Tuam mihi voluntatem conciliavit. Cum enim de illa censura humanissime ad me rescripsisses, aliaque assensu Tuo confirmasses, alia effecisses ut iam ipse aut damnarem aut addubitarem, pauca quaedam adhuc controversa relicta sunt. At haec quoque quin aliquando inter nos componamus, non dubito, quoniam non disceptandi causa disceptamus, sed consentiendi. — Nunc vero uno loco defungar, quem cum Tu diligentissime et sollertissime tractasses, ego in alia omnia discessi, ita tamen, ut quid illi faciendum esset, ignorare me faterer. Legitur autem Orat. XII, p. 201. Mor. I, p. 384, 18. *περὶ δὲ θεῶν τῆς τε καθόλου φύσεως καὶ μάλιστα τοῦ πάντων ἡγεμόνος, πρῶτον μὲν καὶ ἐν πρώτοις δόξα καὶ ἐπίνοια κοινὴ τοῦ ξύμπαντος ἀνθρωπίνου γένους, ὁμοίως μὲν Ἑλλήνων ὁμοίως δὲ βαρβάρων, ἀναγκαία καὶ ἔμφυτος ἐν παντὶ τῷ λογικῷ, γιγνομένη κατὰ φύσιν, ἄνευ θνητοῦ διδασκάλου καὶ μυσταγωγοῦ, χωρὶς ἀπάτης καὶ χαρᾶς, διά τε τὴν ξυγγένειαν τὴν πρὸς αὐτοὺς καὶ πολλὰ μαρτύρια τἀληθοῦς, οὐκ ἐῶντα*

---

1) Ex Zimmermanni diar. phill. a. 1842, p. 91. Respondit Geelius ibidem p. 400.

καταννστάσαι καὶ ἀμελῆσαι τοὺς πρεσβυτάτους καὶ παλαιοτάτους etc.

Tibi videbatur *χορείας* a Dione profectum, a librariis in *χαρᾶς* perperam mutatum. Nec dubitari potest, quin in rebus mysticis saltationi locus fuerit. Quod cum aliunde constet, tum ipse Dio testis est, huius Orat. p. 202 Mor. p. 383, 4. Reisk. *σχεδὸν οὖν ὅμοιον, ὥσπερ εἴ τις ἄνδρα Ἕλληνα ἢ βάρβαρον μυεῖσθαι παραδοὺς εἰς μυστικόν τινα μυχὸν ὑπερφυῆ κάλλει καὶ μεγέθει, πολλὰ μὲν ὁρῶντα μυστικὰ θεάματα, πολλῶν δὲ ἀκούοντα τοιούτων φωνῶν, σκότους τε καὶ φωτὸς ἐναλλὰξ αὐτῷ φαινομένων, ἄλλων τε μυρίων γενομένων· ἔτι δὲ εἰ καθάπερ εἰώθασιν ἐν τῷ καλουμένῳ θρονισμῷ καθίσαντες, τοὺς μυουμένους οἱ πελοῦντες, κύκλῳ περιχορεύειν* cett.

At hoc ipso loco in censura libri Tui usus sum, quo Tuam scripturam impugnarem. Hoc enim mihi molestum erat, quod in priore loco nullis ambagibus, quasi res omnibus nota commemoratur ista saltatio, in posteriore tamquam ad rem non omnibus notam addita explanatione aditus paratur. Neque hoc quemquam offenderet, si sedibus illorum verborum commutatis, haec priora essent, quae explicationem habent; illa sequerentur, quae nudam mysticae saltationis mentionem continent. Hoc igitur erat, quod in Tua me ratione male haberet. Iam ut vetusto proverbio satis fiat, *ἥλῳ τὸν ἧλον*, coniecturae coniectura obviam feratur. Vide enim, ne ita Dio scripserit: *ἄνευ ἀπάτης καὶ Ἄγρας*, ut *ἀπάτης* ad v. *διδασκάλου* respiciat; *Ἄγρας* ad *μυσταγωγοῦ*.

Satis constat, quendam Atticae locum Agram vel Agras dictum esse (nam utrumque reperitur) in quo sacrorum Eleusiniorum quaedam caerimoniae fiebant. Hesych. *Ἄγραι χωρίον Ἀττικὸν ἔξω τῆς πόλεως, ἱερὸν Δήμητρας*. Plut. Demetr. c. 26 *ἀλλὰ Στρατοκλέους γνώμην εἰπόντος, Ἀνθεστηριῶνα τὸν Μουνυχιῶνα ψηφισαμένους καλεῖν καὶ νομίζειν, ἐτέλουν τῷ Δημητρίῳ τὰ πρὸς Ἄγραν*. In libris Plutarcheis legebatur *Ἀγοράν*, sed recte Salmasius aliique illud reposuerunt. Steph. Byzant. s. v. *Ἄγρα καὶ Ἄγραι, χωρίον ἑνικῶς καὶ πληθυντικῶς· ἔστι καὶ τῆς Ἀττικῆς πρὸ τῆς πόλεως, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται, μίμημα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον,*

11*

ἐν ᾧ λέγουσι καὶ τὸν Ἡρακλέα μεμυῆσθαι. Haec sufficiant; nam haud infrequens est Agrae apud veteres mentio.

